I
45

SELECTIORES

ENCYCLICAE seu LITERAE PASTORALES

ET

DICTIONES SACRAE

GEORGII S. ROM. ECCLESIÆ CARDINALIS HAULIK,

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA ARCHI-EPISCOPI ZAGRABIENSIS, ABBATIS B. MARIÆ V. DE TOPUSKA, INS. ORDINIS S. STEPHANI REG. APOST. ET ORDINIS LEOPOLDI IMPERATORIS MAGNÆ CRUCIS EQUITIS, INCLYTI COMITATUS DE BERZENCZE SUPREMI AC PERPETUI COMITIS, S. C. & R. APOSTOLICÆ MAJEST. ACTUALIS INTIMI STATUS CONSILIARII, SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS.

TOMUS VII.

CONTINENS

1. LITERAS PASTORALES,

AB ANNO 1863. USQUE AD ANNUM 1867. EXARATAS,

2. DICTIONES SACRAS,

EORUNDEM ANNORUM DECURSU, IN ECCLESIA METROPOLITANA ZAGRABIENSI PRONUNCIATAS.

3. DICTIONES,

AD ALUMNOS SEMINARII ARCHI-EPISCOPALIS DE ANNIS 1862., 1863., 1864. 1865. ET 1866.

ITEM

OCCASIONE ASSERVATORUM ANNO 1865. SS. EXERCITIORUM CLERI DIOECESANI, HABITAS.

ZAGRABIÆ.

VELOCIBUS TYPIS CAROLI ALBRECHT.

Index

eorum, quae septimo hoc tomo continentur.

Pars I.

	Pag.
Literae pastorales, intuitu millenariae festivitatis SS. Cyrilli et Methodii, die 19. Maji anno 1863. editae . . .	1
Literae pastorales, intuitu folii, quod sub nomenclatione „Pozor“ Zagrabiae typis editur, dimmissae die 18. Octobr. 1863 .	10
Literae pastorales, de modo, quo sacerdotium patriae suae amorem dignissime testari possit, die 24. Januar. 1864 editae .	21
Literae pastorales, de Auctoritate die 22. Januarii 1865 dimissae	45
Literae pastorales, intuitu encyclicae, quam summus Pontifex, Pius Papa IX. die 8. Decembris 1864 edidit, dimissae 5. Februarii 1865	84
Literae pastorales, intuitu fovendae pacis et harmoniae ddt. 15. Mart. 1865	134
Literae pastorales, intuitu crescentis in dies incredulitatis, ejus causis et remediis, ddt. 28. Januarii 1866	145
Literae pastorales, occasione exorti cum regibus Sardiniae et Borussiae belli, editae 21. Junii anni 1866	166

Pars II.

Dictio sacra in nativitate Domini 1863 super themate: eo jam in praesenti vita feliciores esse homines, quo firmius fidei christianae adhaerent	179
Dictio sacra festo Paschatis 1864 de spirituali nostra resurrectione habita	190
Dictio sacra festo nativitatis Domini 1864 pronunciata, super themate: quinam dici possint filii Dei	201
Dictio sacra in Paschate anni 1865 habita super eo, quod admi-	

Pag.

rabilis fidei christianae dilatatio sit insigne ejusdem divinitatis argumentum 211
Dictio sacra festo nativitatis Domini 1865 pronunciata, de humilitate 222
Dictio sacra festo paschali 1866 super textu: Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio . 232

Pars III.

Paraenesis cum fine anni scholastici 1862 ad alumnos Seminarii pronunciata 243
Paraenesis ad eosdem, cum fine ejusdem scholastici anni habita . 252
Paraenesis ad eosdem mense Julio 1864 262
Paraenesis ad eosdem habita mense Julio 1865 . . . 269
Paraenesis ad eosdem, cum exitu anni scholastici 1865-6 . 275
Allocutio ad exordium exercitiorum spiritualium cleri dioecesani, 11. Sept. 1865 pronunciata 284
Allocutio cum fine eorundem exercitiorum 289

Supplementum.

Literae pastorales, intuitu auctoritatum: paternae, sacerdotalis, regiae et summi Pontificatus, 17. Februarii 1867 dimissae . 299

I.

Literae pastorales,

INTUITU MILLENARIAE FESTIVITATIS SS. CYRILLI ET METHODII

ad clerum dioecesanum

dimissae

die 19. Maji, anno 1863.

Venerabiles fratres, et filii dilectissimi!

Notum vobis est, Venerabiles fratres, filiique dilectissimi, millesimum de praesenti decurrere annum a fausto illo temporis momento, quo Sancti Cyrillus et Methodius fratres, a sede Apostolica ad praedicandum Christi Evangelium missi, inter Moravorum gentes consederunt, zeloque suo Apostolico, ac indefessis laboribus, divino Numine adspirante, effecerunt, ut iidem Moraviae, latepatentis eotum, potentisque ditionis, populi, gentilis superstitionis tenebris adhucdum oppressi, svavissimo Christi jugo sua colla inclinarent, ejusque beneficam fidem et praecepta amplecterentur. Sane infatigabilibus potissimum sanctorum horum virorum studiis in acceptis est referendum, quod fides christiana non tantum apud Moravos, sed et alias slavici labii gentes, quas inter et nostri censentur antenati, majores in dies, eoque rapidiores fecerint progressus, quod ii in promovendo sanctissimo suo scopo passim nationali, id vero est his gentibus proprio usi fuerint idiomate; optimo propterea jure dicti Slavorum Apostoli.

Cum nulli obnoxium esse possit dubio, inter cuncta, quae humano generi supremi Numinis benignitate obvenerunt, bene-

ficia, nullum majus pretiosiusque dari, quam sit divina lex Evangelii: merito apud bonos quosque et cordatos populos, illorum virorum memoria in summa esse solet benedictione, quorum pia contentione eadem benefica Evangelii lux potissimum est progagata. Nec proinde mirum, imprimis Moraviae Praesules consilium inivisse, millenariam hanc festivitatem, omni, qua par est, cum solennitate celebrandi; qui quidem, ut solennitas quo licet ampliori cederet lucro animarum, ad visibile quoque recurrerunt Ecclesiae caput, Summum quippe Pontificem, fiducialibus eum exorantes precibus, ut partem in eadem solennitate capturis fidelibus, indulgentiarum charismatibus benigne vellet succurrere. Sua Sanctitas, pro paterni sui cordis affectu, benevolentissime detulit his Antistitum Moraviae precibus, ut uberius colligitur ex advoluti Brevis Apostolici, die 5. Decembris 1862 editi tenoribus; quod quidem Breve apostolicum typis procudendum, ac vobiscum communicandum censui, potissimum propterea, ut, cum e Rescripto pontificio ad Praesules Provinciae Croatico Slavonicae die 26. Febr. anni curr. exarato, appareat, Sanctissimum Dominum nostrum, hanc ipsam indulgentiam, sub iisdem conditionibus, etiam fidelibus Provinciae Croatico-Slavonicae impertiisse, absque nova Brevis expeditione: idem ad Praesules Moraviae editum Breve apostolicum, pro directivo notitiae statu Vobis deserviret, demptis utique iis, quae in specie ad ecclesiam Velehradensem referuntur, eaque cum restrictione, quod, cum apud nos festivitas haec nequaquam ad totum annum extendatur, sed unius Octavae limitibus contineatur: hujus quoque indulgentiae non nisi per decursum Octavae usus fiat.

Nimirum intellecto eo, quod Praesules Moraviae millenariam hanc Festivitatem maxima qua licet solennitate intendant celebrare, Praesules quoque Provinciae Croatico-Slavonicae sui esse reputarunt Officii, piam recolere memoriam eorundem sanctorum fratrum, de gente nostra immortaliter meritorum; tanto

quidem magis, quo certius est, S. Cyrillum ab Hadriano Papa II. post ejus vero obitum, fratrem ipsius S. Methodium in totius Panoniae Metropolitam fuisse nominatos, nec dubium esset, sedem Metropolitanae hujus Provinciae fuisse Syrmium, adeoque intra limites patriae nostrae constitutam.

Itaque iidem Provinciae Croatico-Slavonicae Praesules, initis invicem consiliis, humillimis precibus exorarunt Suam Sanctitatem, Summum Pontificem, ut memoriam Sanctorum eorundem Apostolorum nostrorum Cyrilli et Methodii, ceu festum primae classis cum Octava celebrandam benigne indulgeret, idque die 6. Aprilis, in quem diem incidit mors S. Methodii.

Observato attamen eo, quod anno currente, 6. Aprilis esset feria secunda Paschatis; quodve secus etiam, haec dies passim vel in hebdomadam sanctam, vel in Octavam Paschatis incideret; sicque celebrationi festi in 6. Aprilis defixae, non levia emersura praeviderentur impedimenta: suppletorie supplicatum fuit Suae Sanctitati, ut festivitas SS. Cyrilli et Methodii potius in diem 5. Julii cujusvis anni defigeretur; quod et benigne concessit Sua Sanctitas, sic attamen, ut lectiones per Octavam, et die Octava desumantur ex Octavario Romano, et rubricae serventur; indulgentia plenaria, ut jam supra memoratum est, sub iisdem conditionibus, quibus die 5. Decemb. 1862 fidelibus Moraviae concessa fuit, ad fideles quoque Provinciae Croatico-Slavonicae extensa.

Quibus praemissis, pro Archi-Dioecesi Zagrabiensi disponitur: 1. Ut in Ecclesia Metropolitana, et Collegiata, nec non cunctis parochialibus et conventualibus ecclesiis, Dominica ipsum festum proximepraecedente, fidelis populus de hac solennitate ex ambone edoceatur, adque capiendam in ea, omni, qua par est, cum pietate partem provocetur; annunciando eidem quod omnes, utriusque sexus Christi fideles, qui vere poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti, praestituto die festo, vel uno ex septem diebus continius ecclesiam Metropolitanam Zagrabiensem, devote

visitaverint, ibique pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam etiam animabus Christi fidelium, quae Deo in charitate conjunctae, ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari queant, sint impetraturi. Praeterea, si qui memoratorum fidelium aliqua causa legitima impediantur, quominus ecclesiam Metropolitanam, dictis octo diebus visitare possint, indulgeri iisdem, ut de Confessarii sui licentia et arbitrio, id pietatis opus in alia commutare licite possint; dummodo tamen respectivam ecclesiam parochialem visitent, ibique ut supra memoratum, orent, praemissa utique omnimode contrita Confessione sacramentali et Communione.

2. In conformitate memorati Brevis Apostolici die 5. Decemb. 1862 in Domino concedimus, ut ecclesiae Metropolitanae poenitentiarii, tum et cuncti totius dioeceseos Vice-Archi Diaconi reales et fungentes, tres praeterea in quovis Districtu, per eos conscientiose deligendi sacerdotes dioecesani, poenitentes suos, durante hac octavali festivitate, non modo a peccatis Ordinario, sed et Sedi Apostolicae reservatis, demptis tamen, quae tenoribus ejusdem Brevis excipiuntur, imposita cuilibet arbitrio suo, salutari poenitentia, in foro tantum conscientiae absolvere, sed et vota simplicia in aliud pium opus prudenter commutare possint.

3. Pridie festivi diei, in Metropolitana, et singulis totius dioeceseos parochialibus conventualibusque ecclesiis, post salutationem angelicam pulsabitur major campana uno horae quadrante; quo sic animi fidelium ad subsequam festivitatem praeparentur.

4. Ipso die festivo in cunctis pariter ecclesiis parochialibus et conventualibus, cum omni, qua par est solennitate celebrabitur Sacrum cantatum, et pronunciabitur sacer sermo solennitati accomodus. In quo praesertim inaestimabilia, quae

humano generi, e divina fidei christianae revelatione obtigerunt, beneficia memorabuntur, indeque demonstrabitur, quanta obstringamur gratitudine Sanctis Cyrillo et Methodio, quorum apostolicis sudoribus Slavicae nationes imprimis suam ad Christi fidem conversionem in acceptis habent referendam. Poterit quoque sincerum eorum patriae linguae studium dignis celebrari encomiis, omni tamen cum moderatione et prudentia; ne uspiam emergere possit suspicio, nobis in celebranda hac festivitate magis cordi esse inflammationem patriotici spiritus, quam consolidationem christianae fidei morumque puritatis incrementa. Haec nimirum tantae sunt sublimitatis, tantique, relata ad temporalem aeque ac aeternam felicitatem nostram momenti, ut ea nulli alteri, quamcunque secus laudabili fini, quaqua ratione possint subordinari.

5. Post meridiem in cunctis pariter ecclesiis asservabuntur lytaniae omnium Sanctorum, cum expressa SS. Cyrilli et Methodii, immediate ante Sanctas Virgines interjicienda commemoratione. In fine exponetur Sanctissimum in ciborio, et praemissa incensatione, terque decantato lingva nationali Sanctus Sanctus etc. solita dabitur benedictio. Sed et lytaniae hae in ecclesia Metropolitana et Conventnali, nec non parochialibus Civitatum ecclesiis, imo et in ruralibus, in quantum sperari potest, populum decenti numero compariturum, singulis, per totius Octavae defluxum, diebus asservandae erunt.

In reliquo, Vestrum erit, Venerabiles fratres, et filii dilectissimi, omnem adhibere operam, ut nobilis haec nationalis festivitas cedat ad majorem Dei gloriam, incrementa sacrosanctae fidei nostrae, et amplissima lucra animarum.

Datum Zagrabiae, die 19. Maji 1863.

Georgius Cardinalis Archi-Episc.

Pius P. P. IX.

Universis Christifidelibus praesentes Litteras inspecturis salutem et Apostolicam Benedictionem. Post medium saeculum nonum sancti Cyrillus et Methodius fratres tamquam stellae lucentes in orbe apparuerunt, quippe qui ab hac sancta sede ad praedicandum Christi Evangelium intra Moravorum gentes missi, suis laboribus ac zelo apostolico effecerunt, ut Moraviae populi, qui usque ad illum diem in tenebris versati fuerant, suavissimo Christi jugo colla subjicientes, ejus fidem ac praecepta amplecterentur. Faustissimum hujusmodi eventum adeo gratum, et illis populis salutarem hodierni Moraviae Episcopi animo revolventes, sui muneris esse, et Fidelium, qui modo suis pastoralibus curis commissi sunt, votis ac desideriis omnino consentaneum duxerunt, si jamjam vertente anno millesimo, ex quo per sanctos Cyrillum et Methodium populis Moravis Evangelii lux affulsit, beneficii a Deo accepti memoria non solum extraordinario apparatu ac pompa solemni celebretur, sed et suis gregibus spiritualia subsidia largius suppeditentur, quibus Deo pro beneficiis acceptis aliqua ratione

grati esse possint. Hinc Venerabiles Fratres Fridericus de Fürstenberg, Archiepiscopus Olomucensis et Antonius Ernestus Schaaffgotsche, Episcopus Brunensis enixas preces Nobis admovendas curarunt, ut communibus Moravorum desideriis obsecundantes pro fausta rei occasione coelestium munerum thesauros, quorum Altissimus Nos esse voluit dispensatores, de Benignitate Apostolica reserare dignaremur. Nos, quibus nihil jucundius et acceptius esse potest, quam ut in Fidelium animis fides indies crescat, et iisdem media in promptu sint, quibus opera christiano homine digna peragant, porrectis Nobis supplicationibus annuere, ac ut infra indulgere voluimus. Quare de Omnipotentis Dei misericordia ac B. B. Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac s. Communione refectis, qui anno MDCCCLXIII die festo Storum Cyrilli et Methodii Episcoporum, vel uno ex septem continuis immediate subsequentibus Ecclesiam Metropolitanam Olomucensem, aut Ecclesiam Cathedralem Brunensem, nec non pariter uno infra dictum annum die, cujusque Fidelium arbitrio respective sibi eligendo, Ecclesiam Parochialem Velehradensem devote visitaverint, ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die praefatorum id egerint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam et Remissionem, quam etiam Animabus Christifidelium, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce miqraverint, per modum suffragii applicare possint,

misericorditer in Domino concedimus. Praeterea si qui ex memoratis Fidelibus ob aliquam causam legitimam impediantur, quominus neutram ex memoratis Metropolitana et Cathedrali Ecclesiis visitare dictis octo diebus possint, ut de respectivi Confessarii licentia et arbitrio id pietatis opus in alia commutare licite possint, dummodo tamen respectivam Ecclesiam Parochialem etiam visitent, ibique ut supra orent, Auctoritate Nostra Apostolica indulgemus. Tandem ut memorati Christifideles coelestium munerum hujusmodi facilius valeant esse participes, Venerabilibus Fratribus jam memoratis Archiepiscopo Olomucensi et Episcopo Brunensi in respectivis Dioecesibus aliquot Presbyteros Saeculares, vel cujusvis Ordinis, Congregationis et Instituti Regularis ad excipiendas ipsorum Sacramentales confessiones alias approbatos deputandi, qui eosdem Christifideles, eorum confessionibus diligenter auditis, ab omnibus et quibuscumque excessibus et criminibus, ac casibus Sedi Apostolicae reservatis (haeresis, simoniae, duelli, violationis clausurae Monasteriorum Monialium, et recursus ad Judices laicos contra formam Sacrorum Canonum exceptis) nec non excommunicationis, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, imposita cuilibet arbitrio suo poenitentia salutari in foro conscientiae tantum absolvere, ac vota simplicia in aliud pium opus eorum similiter arbitrio et prudentia commutare possint, facultatem eadem Auctoritate Nostra Apostolica tenore praesentium tribuimus et elargimur. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, provincialibusque et Synodalibus Conciliis editis generalibus et specialibus Ordinationibus, ce-

terisque contrariis quibuscumque. Praesentibus pro anno insequenti tantum valituris.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die V. Decembris MDCCCLXII Pontificatus Nostri Anno Decimoseptimo.

B. Cards. Barberinus m. p.

(L. S.)

II.

Literae pastorales

INTUITU FOLII, QUOD SUB NOMENCLATIONE „POZOR“ ZAGRABIAE TYPIS EDITUR,

ad clerum dioecesanum

dimissae

die 18. Octobris 1863.

Venerabiles Fratres, et Filii dilectissimi!

In meis die 6. Januarii a. cur. ad vos dimissis pastoralibus literis, caetera inter asseverabam, nihil fere majores in gregibus fidelium edere strages, quam edant perversi libri, maloque spiritu animata scripta, quibus hac temporis iniquitate, tristis instar diluvii, poene totus est mundus inundatus. Asseverabam porro, haec inter producta literaria perniciosissimas esse ephemeridis, inimico erga religionem et Ecclesiam animo exaratas, aut secus periculosis principiis refertas, quae eo praecipue ingentes in mentibus hominum, cumprimis imbecillium, et solida rerum cognitione destitutorum, generant strages, quod sub variis, ad speciem insontibus, revera autem e diversis humanae corruptelae fontibus desumptis coloribus, venenum successive, et quotidianis quasi suctibus hauriendum propinent lectoribus.

Inter periculosi idgenus spiritus periodicas pagellas, apud nos eminent illae, quae sub nomenclatione *Pozor*, ab aliquot jam annis, Zagrabiae typis procuduntur. Nimirum pagellas has inimico erga Ecclesiam catholicam spiritu esse animatas, jam

exinde satis impatescit, quod erga visibile Ecclesiae Caput, Summum Pontificem nostrum, maxima legitimi sui possessorii parte inique spoliatum, secus etiam sacrilegis hominum ausibus undique impetitum, ac omni injuriarum et calamitatum genere satiatum, non modo nullum unquam compassionis, aut filialis affectus et venerationis manifestaverint sensum, sed aperta omnino aversi ab eo animi ediderint, nec actu edere cessent specimîna. Sane, qui impiam illam, in Sedem Apostolicam vaferrimis artibus excitam rebellionem, commissa sacrilega praedocinia, totamque in ejus exitium malitiose comflatam conspirationem, sympatheticis prosequitur votis; qui praecipuos conspirationis authores, et juratos Sedis pontificiae inimicos, exempli causa, famigeratum illum Sardiniae Ministrum, Comitem Cavour, nihiloque meliorem ejus successorem Ricasoli, ipsum adeo capitalem authoritatis apostolicae, imo personalem Sanctissimi Patris nostri hostem, Garibaldi, secus etiam verum impietatis, ac corruptae humanae naturae paradigma, ne dicam monstrum, summis cumulat laudibus, ac ferventibus comitatur votis, suisque aperte succolat suffragiis; qui inquam talium capax est impietatum et ausuum: is omni erga communem Christianitatis Patrem, adeoque ipsam, cujus hic visibile caput est, Ecclesiam, pietatis, adhaesionis ac benevolentiae sensum exuerit est neccesse. Imo ipsius humanitatis ac naturalis justitiae instinctu destitutum esse oportet hominem, qui talia nedum haud reprobet et detestetur, sed et probet, defendat ac sustineat. Complures inter acatholicos viri, magni secus ingenii, et eruditionis laude insignes, exempli causa Guizzot, Thiers, innato humano cordi justitiae sensu excíti, non dubitarunt has in Sedem Pontificiam congestas injurias publice condemnare. Imo reperti sunt inter ipsos Judaeos, aut secus declaratos christianae fidei hostes, e quibus posteriboribus suffecerit memorasse veri nominis demagogum, imo perniciosi systematis, quod Socialismi nomine placuit insignire,

authorem, Proudhon, qui Sedem Pontificiam, contra violentae adeo fraudulentaeque despoliationis technas animose defendendam susceperunt. Hoc magis detestanda est hominis, qui se christiano — catholicum venditat, tanta erga venerandum Ecclesiae caput impietas!

Porro pagellae, de quibus mihi sermo, nihil pensi ducunt acta factaque Episcoporum, ad propriam etiam sacerdotalis ipsorum muneris sphaeram pertinentia, signanter pastorales eorundem literas, petulantibus suis cavillationibus lacessere, proprium quoque suum Praesulem, qui immeritus licet, tamen sic disponente providentia divina, et sic volentibus summis authoritatibus, una metropolitica distinctus est dignitate, procusis, prorsusque a veritate alienis assertionibus, inconvenientibus, imo cultiores homines dedecentibus expressionibus impetere, et publicae subsumptioni, ac odio exponere; idque non una tantum vice, aut per aliquod incidens, sed continuative, ac peculiaris quodammodo professionis instar, nec habito ullo, seu convenientiae, seu, quem ipse cultior temporis genius suapte deposcit, pudoris et honestatis respectu. Potestne de homine, qui talium capax est, supponi, eum vel aliquo religionis sensu, ne dicam catholico spiritu esse animatum?

Radactio folii Pozor, insuper infundatis cavillationibus exagitare amat Seminarium dioecesanum Cleri junioris. Jam Directionem et Superiores incuriae, duraeque ac indiscretae cum juventute agendi rationis insimulat, imo calumniis lacessit; quemadmodum duos ante annos publice asseverare ausa est, alumnatui morbo infectorum nefrendum carnes fuisse propinatas, et hanc calumniam tunc etiam pertinaciter sustinuit, ubi post oculatam inspectionem, officiosis testimoniis asseverationis falsitas manifeste fuisset evicta. Jam defectum amoris patriae et spiritus nationalis objectat iisdem Seminarii Superioribus, jam alios in disciplina domestica queritur defectus, ac exhinc repetendum esse calumniose asseverat, multos Seminarii alu-

mnos morte praematura decedere, multos quoque singulis annis vel arbitrarie dimitti e Seminario, vel sponte sua ob diversi generis afflictiones ad seculum recedere. Qui vel aliquatenus noscit viros instituendae educandaeque juventuti posterioribus his annis in Seminario praepositos; qui non ignorat, quanto studio, quantaque sollicitudine, ipsa etiam dioecesana authoritas prosequatur Seminarii institutum; quanta locum sortita sint sacrificia, ad tutandam promovendamque ecclesiasticae juventutis, ampliorem moralem aeque ac scientificam culturam; qui porro vel aliquam illorum favorum ac beneficiorum habet notitiam, quae relate ad victum et amictum, aliaque materialia emolumenta, juventuti ecclesiasticae recentioribus temporibus obtigerunt; qui denique scit, tam procul abesse, ut in Clericis sobriae nationalitatis spiritus suprimatur, aut ii in excolenda patria literatura impediantur, ut ii potius suppeditatis in rem congruis subsidiis, atque adeo pecuniariis quoque succursibus prompte in idgenus studiis succolentur; qui inquam haec norit, nec veritati aperte vult repugnare: confiteatur est necesse, cunctas folii, de quo agimus, insinuationes, non esse aliud, quam figmenta, et iniquas infestationes, nequaquam e veritatis aut promovendi publici boni studio, sed e turbidis secundariorum finium scaturiginibus provenientia. Quamvis interim cunctae hae insimulationes omni prorsus destituantur fundamento: multum tamen operantur ad mentes cordaque Clericorum pervertenda. Quod quidem nemo mirabitur, qui propria experientia se convincendi nactus est occassionem, juventutis animos his praesertim temporibus nostris, nullis aliis artibus facilius in errorem induci, et a recto tramite in devia pertrahi posse, quam falsis periculorum, quibus nationalitas ipsorum exposita sistitur, obtentibus, continuisque exuberantis patriotici aestus sufflaminationibus. Nec omnino inexpectatum cuiquam, qui humanae naturae indolem vel aliquatenus perspectam habeat, videri potest, majorem nunc, quam prioribus temporibus, cleri-

corum numerum partim sponte sua o Seminario excedere, partim ex eo dimitti. Juventus enim e corrupti spiritus libris et ephemeridibus, in quorum numero tristem sibi emeruit principatum Pozor, imbibit principia a spiritu Evangelii absona, prorsusque opposita iis, quibus animatos esse decet futuros altarium ministros. Corrupta idgenus principia necessario producunt nisus, desideria, actiones vocationi ecclesiasticae, ipsique morali christianae repugnantes; quarum rei, non proficientibus leniorибus mediis, tandem utique vel dimitti debent ex Instituto, promovendis sanctissimis religionis et moralitatis finibus destinato, vel ipsi tale deserunt observantes, totam suam cogitandi ac sentiendi rationem in aperta jam cum statu, quem sibi delegerant, esse positam contradictione. Manifestissimum in hanc rem suppeditavit argumentum infelix ille annus 1848, quo similibus agitationum artibus juventus Seminarii tantopere corrupta fuit, ut fere dimidia ejus pars ad saeculum debuerit relegari. Eadem corruptionis media nunc quoque adhibent pagellae in quaestione positae, una radicem mali per se progenerati, effronter in superiores Seminarii, malamque Instituti administrationem rejiciunt.

Insuper folium, de quo agimus, nonmodo erga legitimum terrae Principem, Regem nostrum apostolicum, qui tot tantaque, his praesertim postremis annis, erga patriam nostram benignitatis suae edidit documenta, nullum unquam amoris aut gratitudinis prodit indicium, sed omnia fere, quae a Regimine proveniunt, vel falsa interpretatione in malam partem trahit, vel infundatis commentationibus, imo studiosis detorsionibus in invidiam vertit, sicque popularium animos suspicionibus, ac diffidentia erga supremam potestatem farcire pergit. Sed nec datur tam sublime dicasterium, tam ampla authoritas, tam conspicua dignitas, vel in ipsa patria nostra, quam non impetierit, actuque impetat idem folium speciosis quandoque sub coloribus, studioseque conquisitis praetextibus, saepe inique, plerumque

exaggerate, non raro falso prorsus ex supposito, semper fere intolerabili cum audacia et arrogantia. Talis spiritus, certe cum Evangelii, et Ecclesiae catholicae principiis componi non potest, imo his aperte repugnat. Scimus quippe Salvatorem nostrum, et Apostolos nunquam adversus publicas potestates insurrexisse, sed potius subjectionem, venerationem erga sublimiores quasque authoritates inculcasse fidelibus; nec solum bonis, sed etiam discolis praepositis, obediendum docuisse, *idque non propter iram tantum, sed et propter conscientiam. Omnis anima*, ait Doctor gentium, *potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas, nisi a Deo. Reddite*, ait idem gentium Apostolus, *omnibus debita: cui tributum, tributum, cui vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.* Porro alio loco (Timot. 1, 2.) dicit: *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus. Pro regibus, et omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus, in omni pietate et castitate. Hoc enim bonum et acceptum coram Salvatore nostro Deo.* Eodem spiritu animatus Princeps Apostolorum, divus Petrus, in prima sua epistola scribebat: *Subjecti igitur estote omni humanae creaturae propter Deum; sive regi quasi praecellenti; sive ducibus, tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum. Quia sic est voluntas Dei.* Huc etiam faciunt illa Doctoris gentium sapientissima sane verba (Hebr. 13.) *Obedite praepositis vestris, et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant et non gementes: hoc enim non expedit vobis.* Talis est spiritus Evangelii, cui quam e diametro contrarius sit ille, quo pagellae, de quibus nobis sermo vertitur, animantur? nihil opus est specialius explanare, cum res primo obtutu se reddat manifestam.

Facile est autumare, quid ad haec ejusdem folii redacto-

res, eorumque patroni et amici responsuri sint? Dicent indubie: in regno constitutionali liberum cuique esse debere, sua etiam de regiminis, dicasteriorum, ac magistratuum factis sensa manifestare, et, si nunc memorata principia ad politicam sphaeram traducerentur, publicarumque pagellarum compilatoribus cynosurae instar praescriberentur, libertatem praeli, cunctaque constitutionalia jura fore evertenda. Sed vero aliud est, intra debitae moderationis limites, observatisque convenientiae legibus, suam expromere mentem super iis etiam, quae fiunt per altiores authoritates, si ea erroneae persvasioni innixa, aut secus publicae saluti minus congrua videantur, aliud item, de industria adsciscere omnia, quae seu veram seu falsam cavillandarum legitimarum potestatum possint ansam suppeditare; optimas etiam earum intentiones detorquere; suspiciones undique, imo odia popularium ciere; exaequationem vertentium inter nationem et legitimum ejus Principem dificultatum, exoptatamque reconciliationem ex professo impedire, et, detortis optimis etiam ejus intentionibus intervertere; honorem denique et existimationem seu publicorum Institutorum, seu personarum, in altioribus publici servitii gradibus positarum, vellicare, et procaciter compromittere. Talibus autem inde ab ortu suo indulsisse, actuque indulgere ephemerides in quaestione positas, nemo, qui vel per vices eas inspexit, potest inficiari, nisi veritati aperte velit repugnare.

Cum haec ita sint, differe amplius non possum, ad quod faciendum dudum me stimulavit ipsa sacri muneris mei ratio, et conscientia, quodve adusque facere intermisi, spe fretus, homines redactione hujus folii occupatos, seu propriae suae conscientiae dictamine excitos, seu benevolis aliorum monitionibus permotos, ad sectanda saniora consilia redituros; at vero id nequaqam accidit adusque, nec facile eventurum prudenter amplius potest expectari; cum eorum audacia, ipsa, qua hucdum perfruebantur, quamve boni omnes mirari non sufficiunt, im-

punitate, in dies magis augeatur. Non possum inquam non attentos vos facere Venerabiles Fratres, et Filii dilectissimi, quantopere, quovis sub obtutu abludat spiritus harum ephemeridum a spiritu, principiis, et sanctitate religionis nostrae. Certe ipsa idmodi foliorum lectio non caret periculo. Si enim, ut dicit Scriptura, colloquia prava bonos corrumpunt mores: hujusmodi perversa scripta, citius tardius perniciosum in melius etiam sentientium animos exerunt effectum; praesertim cum speciosis nationalitatis, patriotismi, libertatis, ac independentiae coloribus, allicere sciant lectores suos. Prorsus autem indignum est, et timoratae conscientiae rationibus repugnans, ut qualiscunque redituum ecclesiasticorum pars in succolamen et propagationem idgenus foliorum convertatur. Certe reditus ecclesiastici aliam, eamque nobiliorem habent destinationem, quam ut in promovendos, quos haec folia sibi praestitutos habent, fines impendantur. Et qui perversum, de quo agimus, folium, post hanc etiam declarationem meam succolarent Ecclesiastici, imprimis facto probarent, sibi nec sanctimoniam religionis suae, nec honorem Sanctissimi Ecclesiae Capitis, aut proprii sui Antistitis cordi esse. Abnorme sane est corporis membrum, quod ictus in caput vibratos non sentit; quanto magis, quod idgenus ansus suo adjuvat concursu? Certe qui caput laedit, laedit totum corpus, nec est ullum corporis membrum, in quod non redundet laesi capitis ignominia. Redactio quidem ephemeridum „Pozor“ studiose distingvit inter ea, quae ad sphaeram pertinent ecclesiasticam, et ea, quae politicae sunt indolis; nec in his posterioribus clerum ad sensa sui Praesulis adoptanda ulla adstruit esse lege obligatum. Sed vero agi hic de rebus, quae in arcto cum religionis principiis, morumque placitis nexu constituuntur, vel ex iis, quae hucdum per me allata sunt, satis impatescit. Caeterum in iis etiam, quae temporalem patriae prosperitatem concernunt, Sacerdotes tutiori certo procedunt pede, si suo potius se jungant Antistiti, quam hominibus vix

colore religiosi spiritus tinctis, apertis Praesulis sui, imo et ipsius Ecclesiae capitis adversariis, ac variarum passionum stimulis agitatis. Male religioni affecti homines semper hoc uti solebant stratagemate, actuque utuntur in exteris etiam oris, praesertim in quibus revolutio suum erexit caput: ut nimirum subordinatum Clerum adversus suos concitent Episcopos, jam protectionem ei contra horum, ut dicere amant, praepotentiam et oppressionem promittentes, jam meliorum redituum, ac nescio quorum materialium emolumentorum spe eos allectantes, re vera autem propterea, quod non ignorent, enervato vel adtrito pastore, se facile cum ovibus dispersis negotium habituros. Docet id multiplex eaque vere tristis experientia multarum nationum, apud quas falsi religionis amici, postquam turbata Clerum inter et Antistitem fiducia et harmonia, episcopalem sedem subverterunt, aut saltem labefactarunt, immemores suarum promissionum, arma sua adversus ecclesiasticas corporationes, ipsum adeo curatum clerum verterunt, et quidem eo passim cum effectu, ut potior Sacerdotii pars, debito suo exuta honore, cum adversitatibus omnis generis, ipsa non raro inedia debuerit, actuque debeat colluctari.

Sed et, succolantes opera et peculio nostro idgenus spiritus et tendentiae scripta, probaremus quodammodo, imo proprio etiam aere nostro sustentaremus adversa alto Regimini studia, apertamque erga Regem nostrum apostolicum oppositionem; probaremus infelicem illum pruritum, cuncta, etiam ex optima intentione procedentia dicasteriorum, publicarumque authoritatum facta cavillandi, ac malam in partem detorquendi; probaremus evangelicae legi tantopere adversum nisum, honorem ac existimationem publicam privatarum quoque personarum, suspicionibus, ac malitiosis crisibus impetendi; probaremus denique infelicia passionibus agitatorum hominum studia, quibus impedire laborant, ne pax, debitus rerum ordo, tranquillitas et malacia animorum, optataque Principem inter et nationem harmonia in patriam revehatur; sine qua tamen nec religionis et moralitatis incrementa, ac progressus in civilitate verique nominis cultura, sed nec materialium emolumentorum successus possunt expectari. Procul certo a me abest, ut in dijudicandis negotiis publicis tantum ingenii acumen mihi arrogem, ut me errare haud posse existimem: vix tamen prudens quisquam negaverit, hominem, qui magnam provectae suae aetatis portionem in medio Comitiorum et ad sublimiora dicasteria serviendo contrivit; qui parte ab altera, quadrantis saeculi decursu, suum erga patriam amorem factis est contestatus, qui denique eo loco positus est, ut nullas amplius dignitatum aut materialium emolumentorum accessiones sperare aut vel desiderare possit; idgenus inquam hominem, dum de promovenda patriae salute agitur, maturius suppeditare posse consilium, majorique dignum esse fiducia, quam homines experientia destitutos, et qui nullam validam praestiterunt cautionem, se unice patriae prosperitatis finibus duci, non aliis etiam affectuum fluctibus agitari.

Itaque paterna cum fiducia vos hortor, Filii dilectissimi, ut a pagellarum, quae indicato per me spiritu sunt animatae, signanter autem folii Pozor, cujus redactio nullis benevolis monitionibus a devio suo tramite se revocari sinit, lectione aut quacunque succolatione, et ipsi sollicite abstineatis, et fideles vestros a periculosa idmodi lectione pro viribus omnique data opportunitate, observatis tamen adamussim pastoralis prudentiae legibus, retinere contendatis. Num, et qualem conscientiae reatum forent incursuri sacerdotes, qui, post hanc etiam Praesulis sui provocationem, idem folium opera et concursu suo sustentarent? unicuique Vestrum dijudicandum relinquo; spe frestentarent? unicuique Vestrum dijudicandum relinquo; spe frestus, haud quemquam in Clero dioecesano repertum iri, qui plus privato suo, quam ex Ecclesiae catholicae genio, sanaeque moralis placitis desumpto Antistis sui judicio putet esse deferendum. Nec quisquam validam in eo se reperire posse exculpationem arbitretur, quod ipsius bonae rei intersit, adversariorum

*

nosse argumenta, adeoque et legere, quibus ea exhibentur, scripta, cum ea secus debite nequeant refutari. Hoc valere ad summum potest quoad illos, quibus vi sui muneris incumbit, erroneas refellere opiniones; caeteris sufficit ex aliis probatis scriptoribus, foliisve, necessarias pro re nata, desumere notitias; quod in hac tanta melioris etiam notae ephemeridum abundantia, nulli obnoxium esse potest difficultati.

Pax Dei, quae exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, et intelligentias vestras in Christo Jesu. Datum Zagrabiae die 18. Octobris 1863.

Georgius Cardinalis Archi-Episc.

III.

Literae pastorales,

DE MODO, QUO SACERDOTIUM PATRIAE SUAE AMOREM DIGNISSIME TESTARI POSSIT.

Venerabiles fratres, et filii dilectissimi!

Ad episcopalis mei muneris partes semper referebam, dum opportuna se offerret occasio, paternae exhortationis verba impendere iis, quos in nobilissima sacerdotalis et pastoralis vocationis palaestra dirigendos divina providentia meis credidit manibus. Quamvis enim satis mihi perspecta esset imbecillitas mea: tamen haud negligendum existimavi exequi pro viribus, quod suapte natura deposcit episcopalis vocationis ratio. Probe quippe intelligebam, supremum olim actionum mearum judicem non, quam uberes verba mea produxerint fructus? sed num congruum parvitati commissorum mihi talentorum fecerim usum? indagaturum. Quapropter ab ea, quam a primis episcopalis mei officii auspiciis adoptavi consuetudine, ingruente quippe sacro quadragesimae tempore, nonnulla paterna vobis, Venerabiles Fratres, et Filii dilectissimi, suggerendi consilia, ne nunc quidem, labascentibus licet sub increscente annorum pondere, mentis et corporis viribus, recedendum arbitrabar. Id vero tanto minus: quanto certius est, cunctis, qui determinato se consecrarunt vitae generi, atque adeo integris variae conditionis hominum classibus, nedum summe utile, sed omnino necessarium

esse, ut statis temporibus, anteactae suae operationis rationes serio expendant apud animum suum, determinatioresque futurae contentioni suae regulas praestituant. Hinc est, quod videamus eos, qui militari mancipati sunt statui, jam minora jam ampliora praesuscipere armorum exercitia; quodve pari ratione, qui eadem tractant literarum et artium genera, jugiter mutua amplioris adipiscendae perfectionis agitent consilia. Ipsae etiam infelices illae secretae societates, quae, his praesertim temporibus nostris, tam perniciosum in humanum genus exerunt influxum, mutuis ad perseverandum in inita perditionis via, adque resumendos novos ausus, se solent inflammare stimulis et consiliis. An non igitur ii, qui sublimem, planeque divinam nacti sunt vocationem, aeternam aeque ac temporaneam hominum salutem operandi, statis temporibus strictiores pariter cum sua quisque conscientia inibunt rationes, serio expendendo: num cunctis incumbentis sibi tam excelsi muneris responderint partibus? indagando: an non puritati intentionum suarum aliquid adhaeserit mundanae corruptionis? an non contentionis suae fervor commoditatis et philauciae studio infractus sit, vel saltem debilitatus? Sed et serio adnitentur suae vocationis aestimio perciti Sacerdotes, e pia aeternarum veritatum meditatione, et mentem suam novis instruere cognitionum praesidiis, et efficaces si non refractariae, tamen vacillanti persaepe voluntati suae subjicere stimulos? Facient hoc indubie, si vere volunt praeclarae suae respondere destinationi, inque numerum referri dignorum Altaris ministorum, et fructuosorum praeconum Evangelii.

Talibus autem reflexionibus cum fructu instituendis, aptum apprime est sacrum Quadragesimae tempus, quo mater Ecclesia cunctos et fideles, et sacerdotes, in abundantiori mensura incumbere cupit orationi, jejunio, aliisque piis et meritoriis operibus; tempus, quod peculiari quadam ratione recolendis passionis dominicae mysteriis est destinatum, quodve salutaris instar

medii nobis deservire debet mentes, cordaque nostra ad digne celebranda paschalia festa praeparandi. *Quamvis nulla sint tempora,* pulchre de sacra Quadragesima monet S. Leo Papa, *quae divinis non sint plena muneribus, et semper nobis ad misericordiam Dei per ipsius gratiam praestetur accessus: nunc tamen omnium mentes majori studio ad spirituales profectus moveri, et ampliori fiducia oportet animari, quando ad universa pietatis officia illius nos diei, in quo redempti sumus, recursus invitat; ut excellens super omnia passionis dominicae sacramentum purificatis et corporibus et animis celebremus. Debebatur quidem,* continuat magnus ille Pontifex, *tantis mysteriis ita incessabilis devotio, et continuata reverentia, ut tales permaneremus in conspectu Dei, quales nos in ipso paschali festo dignum est inveniri. Sed quia haec fortitudo paucorum est; et dum carnis fragilitate austerior observantia relaxatur, dumque per varias actiones vitae hujus sollicitudo distenditur; necesse est, de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere: magna divinae institutionis salubritate provisum est, ut ad reparandam mentium puritatem quadraginta nobis dierum exercitatio mederetur, in quibus aliorum temporum culpas et pia opera redimerent, et jejunia casta decoquerent.*

Huic piae occupationi vestrae, Venerabiles Fratres, et Filii dilectissimi, pro ingruente iterum sacrae Quadragesimae tempore, suppetias laturus, praesentes ad vos dirigo literas pastorales. Scopus earum non est, novas vobis de sacrosancta vocatione vestra ingerendi notitias: sed indicandi tantum, quo, opinione mea, praecipue tendere debeat contentio vestra. Neque excitare vos ad praeclara haec studia intendo velut dormientes, sed vobis, ceu sponte propria currentibus, novum quodammodo indere calcar, et semitam, qua tutius ad intentum finem progredi valeatis, demonstrare.

Et equidem, hac vice illam, quae sacerdotali et pastorali

vocationi cum genuina patriae amoris idea intercedit correlationem, pro themate dissertationis meae censui deligendam.

Quippe inter ea, quae genius saeculi nostri ubique locorum, per ipsa adeo compita resonare facit vocabula, nullum fere est communius, nullum blandius aures afficiens, quam vocabulum Patriotismi; quod etsi minus classicum, rem tamen, cui designandae adhiberi solet, haud incongrue exprimit. Intelligo ferventis erga patriam dilectionis habitum. Amor patriae apud universas cultas gentes in magno semper honore fuit, magnisque passim decantabatur laudum encomiis. Sed temporibus nostris eum adeptus est existimationis gradum, ut multorum judicio, non modo primum inter virtutes locum occupare, sed cunctas caeteras virtutes quodammodo absorbere censeatur; quamvis saepe falsis temeretur conceptibus, sic, ut verae virtutis exuat speciem, inque censum recidat perniciosorum errorum. Quis etenim negare possit perversissimos quandoque affectus, apertas iniquitates, imo crudelitates varii generis, decoroso patriae amoris nomine palliatas, ingentes in humana societate edere strages? Ast non obstantibus, quibus res etiam sanctissimae obnoxiae sunt, abusibus, amor patriae indubie pulcherrimis, quaeve bonum virum apprime ornant, dotibus est accensendus. Nec dubium, cordatum quemque hominem vix quidquam antiquioris habere in desideriis suis, quam ut suam erga patriam dilectionem quo luculentioribus possit demonstrare documentis. Itaque plane mihi persuadeo plerosque Sacerdotes, tanto ardentiori zelo vires suas rite explendis sacri sui muneris partibus impensuros: quanto clarius perspexerint, se hoc pacto, luculentissime suum patriae amorem reddere manifestum. Et equidem huic praecise thesi enucleandae, hac vice, immorandum existimavi. Explicatius quippe conabor demonstrare: eum demum ecclesiasticum veri esse nominis patriotam, qui sacerdotale ac pastorale suum munus ad omnem explet amussim;

nec ullum hoc seu convenientius ordini nostro, seu sublimius dari genus patriotismi.

Sacerdos, et pastor animarum ex obtutu generali vocationis suae.

Scimus omnes, et rationis postulatis, et revelanti authoritati divinae innixi, nos haud propterea omnipotente Creatoris virtute e nihilo eductos, tamque nobilibus mentis dotibus instructos fuisse, ut, exactis in hac terra, multas inter calamitates et vicissitudines, pauculis annis, in nostrum iterum nihilum revertamur; sed ut campus nobis in hac peregrinatione praebeatur et occasio, jugi virtutis studio emerendi nobis beatam illam aeternitatem, quam ceu scopum existentiae nobis praestituit idem Creator benignissimus. Certe non ob pauca ista caducae vitae momenta, quae vapor sunt ad modicum parens, nobis inspiravit spiritum suum, nosque ad propriam imaginem suam efformavit omnipotens coeli terraeque Dominus; nec in gratiam miseri hujus incolatus nostri, reliquit aeternum Patris verbum, filius Dei, gloriam suam, et miseram hanc nostram assumere dignatus est carnem, formam servi accipiens, et habitu inventus ut homo. Tanta Creatoris et Redemptoris dignatione nonnisi aeterna hominis beatitudo potuit conveniens apparere. Nullum itaque subversari potest dubium, illos optime mereri de genere humano, qui illud, in assequendo hoc nobilissimo fine, suis succolant studiis et laboribus. Tales autem sunt veri nominis Sacerdotes et pastores animarum. Dum enim cuncta caetera statuum vocationumque genera, in adserendam temporaneam mortalium tendunt prosperitatem, nos sacerdotes ad hoc praecipue destinati sumus, ut iis tutam aeternae salutis semitam demonstremus, nec demonstremus tantum, sed eos ad talem jugiter tenendam, verbo et opere, totaque virium nostrarum contentione attineamus, parati ad cuncta etiam pericula subeunda, ipsamque vitam nostram sacrificandam, dum id

tam sublimis vocationis nostrae deposcit ratio. Subsequitur exhinc sua sponte, Sacerdotem et sacrum Curionem, qui popularibus suis, sacri sui ministerii obsequia, omni cum promptitudine et adcuratione exhibet, summi momenti impendere beneficia, jamque sub hoc obtutu, veri patriotae nomenclatione dignum debere reputari.

At vero probus Sacerdos, verique nominis pastor animarum, exacto incumbentium sibi munerum implemento, non solum in grandi assequendae aeternae beatitatis opere, admirabiliter juvat populares suos; sed et temporalis eorum prosperitatis promovendae insigne, atque adeo praecipuum est fulcrum et instrumentum. Quippe nemo sanae mentis negaverit, morum probitatem ad temporaneam quoque felicitatem nostram necessariam esse, nec ullam humanam societatem diu sospitem persistere posse, in qua non regnet reverentia moralis legis, et studium virtutis. Certe societas ex hominibus, honestatis conceptu destitutis, et unice corruptae humanae naturae stimulos sequentibus, sensualitatisque lenociniis deditis, oppido infelix est, nec ullam humanae dignitatis speciem exhibens, ipsisque brutorum animalium gregibus deterior.

Quemadmodum porro certum est, sine moralitate homines veri nominis prosperitate gaudere non posse: ita dubio vacat, moralitatem, quae non sit in religione radicata, nec genuinam dici, nec diu posse subsistere. Axioma hoc fundatur in ipsa rerum, ac humanae naturae indole; potestque aptis ex hac ipsa desumptis argumentis, et a priori, ut dici solet, demonstrari. Sed vero demonstrationibus idgenus haud magnopere opus est, ubi de re agitur, quam omnium temporum et locorum experientia certam reddit ac manifestam. Vel an negare quis ausit, ilic, ubi religio christiana, quae sola, in tanta ista religionum varietate, veritatis gaudet criteriis, regnat in mentibus, cordibusque mortalium: morum obtinere puritatem; ubi contra benefica crucis religio, aut necdum illuxit hominibus, in umbra

mortis sedentibus, aut semel admissa, quacunque infelicitate exstincta fuit, vel saltem tristem in modum attenuata: illic mox corruptelam morum, vitiaque omnis generis invalescere? Verum hoc fuit semper, estque de praesenti, et manebit indubie et in posterum; ut adeo christiana fides et probitas morum, quantumvis theoretice distingui possint, disparataque videantur: tamen re ipsa tam arcto invicem junta sint foedere, ut una absque altera haud possit subsistere. Quid etiam effecerunt tanta ista ambitiosorum ingeniorum, moralitatem a religiosa fide separare volentium, tentamina? quid et priscorum et recentiorum philosophorum, secus et subtilitate paene admirabilia systemata? Cui ipsorum successit vel unam, non dicam gentem, non dicam civitatem, sed vel familiam unam, probam reddere et virtutis studio deditam? ubi contra fides christiana primis statim saeculis, admirabiles sane produxit verae vitae innocentiae fructus, sed nec hodie cessat, stupenda virtutum et sanctitatis paradigmata producere, ubicunque pleno suo gaudet vigore. Et unde, quaeso, repetenda est, tristissima ista, in quam multos etiam christianos populos decidisse cernimus, moralis corruptio, si non e labefactata, infernalibus artibus, fidei christianae integritate, e neglecta vel vilipensa salutarium ejus institutorum et praeceptorum observantia? Et recte quia homines etiam sine religione probos se et felices esse posse existimant; magis magisque ruunt in scelera omneque genus impietatis. Vel non videmus ipsa aeterna juris et justitiae principia, apud cultissimas etiam nationes, quodve tristissimum est, nonnumquam apud eos quoque, qui regendis populorum sortibus praesunt, omnem paene amisisse vigorem? An non continuis aures nostrae verberantur relationibus de novis, novisque inter ipsas christianas nationes, emergentibus cruentis bellis et conflictibus? An non hoc ipso momento, in septentrionalibus aeque, ac meridionalibus Europae oris, crudelitates committuntur, magis Attilae et Temerlani temporibus, quam saeculo nostro, cu-

jus humanitas tantis celebratur encomiis, congruentes? An non vitae, honoris, et proprietatis securitas, quae tamen principalem humanae consociationis constituit scopum, tantopere vapulat, in pluribus felicibus secus regionibus, ipsis adeo florentissimis quondam urbibus, ut earum incolae vix limen suae domus egredi audeant, metu perculsi, ne in medio foro pugione perfodiantur unius e sicariis, quorum numerus in dies horrendum in modum invalescit? An non templa Deo dicata, in quibus antehac laudes supremi numinis jugiter resonabant, tetris criminibus execrantur, in depositoria mercium, theatra, aut xenodochia vulnerati militis convertuntur; viceque eorum lupanaria per cunctas civitates in ignominiam christiani nominis, ab ipsa authoritate publica eriguntur, prostitutionis domuum nomine compellata? An non Claustra et Conventus, qui pium hominibus utriusque sexus, vitam suam Deo et perfectionis christianae studio sacrantibus, praebebant refugium, repulsis, et inaccliae in praedam assignatis prioribus incolis, in varios profanos fines convertuntur, haud raro in carceres transformantur? cum malefactorum omnis generis numerus tantopere augeatur, ut iis recipiendis praestabilita hoc scopo aedificia nuspiam amplius sufficiant? An non autochiriae et duella quotidiana paene, ac, ut ita dicam, publici juris facta sunt, ac non raro ceu generosi animi documenta summis laudibus celebrantur? An non matrimonialis conjunctionis sanctimonia paene evanuit in populosis cumprimis urbibus, ejusque vices occupant turpissima impudicitiae et lasciviae monstra? cujus rei vel id triste sane, sed indubium praebet documentum, quod in bene multis civitatibus fere dimidia generatorum infantium pars in classem illegitimarum, id vero est infelicium illarum recidat, quae passim solerti educatione destitutae, nominisque honestate carentes, penes impressam ipsi suae nativitati ignominiam, tristem potissimum sortem habent exspectandam.

Haec ingentis, apud christianos quoque populos invalescentis, morum corruptelae pestis, quae innumeris adhuc aliis demonstrari posset argumentis, non aliunde certe est repetenda, quam quod infracta, aut saltem multum debilitata sit in mentibus, cordibusque mortalium sacrosancta illa fides, quae semel jam mundum coeno idgenus turpitudinum immersum vitae restituit puritati, inque libertatem adseruit filiorum Dei. Non est, inquam, aliunde repetenda, quam quod homines, superbiae spiritu inflati, et plus proprio ingenio, quam revelantis Dei sapientiae et benignitati confidentes, se etiam absque lumine christianae fidei, et probos, et felices esse posse arbitrentur; non credentes Doctoris gentium effato, longa saeculorum experientia firmato: *fundamentum aliud nemo potest ponere, praeter id, quod positum est: quod est Christus Jesus.*

Cum haec ita sint; cumque parte ab altera, status noster eam habeat destinationem, eum sibi praestitutum positivum finem, ut super fidei christianae fundamento, innocentiam morum, vitaeque puritatem inter homines, omni quo licet meliori modo conservare, augere, et propagare adnitatur; quivis concedat est necesse, sacerdotes et curatores animarum, qui quo possunt, adcuratius, impensius, et fructuosius partes sui muneris exequuntur, praeclare prorsus, etiam obtutu temporaneae prosperitatis, mereri de popularibus suis, vereque nobilissimum patriotismi genus exercere.

Magis adhuc asserti hujus veritatem perspiciemus, si principaliores sacerdotalis et pastoralis vocationis partes separatim expenderimus; cui expensioni subsequi hujus meae epistolae tenores sunt destinati.

Sacerdos et pastor animarum, in exercitio particularium vocationis suae munerum.

Fuerunt tempora, quibus institutum scholarum popularium multos habuit adversarios. In ipsa patria nostra, vel ante aliquot adhuc lustra reperiebantur, nec pauci, qui scholas rurali

populo nostro plus detrimenti, quam utilitatis adferre existimabant, nec verebantur hanc suam persuasionem palam etiam profiteri. Hodie raro offendimus hominem, qui insignem scholarum utilitatem, magnumque earum, si rite sint ordinatae, in populi culturam et prosperitatem influxum, audeat inficiari. Et sane earum salubritas indubia est ac manifesta; modo, ut innui rite sint ordinatae. Quippe et ratio et experientia docet, praepostere, aut minus suo fini congrue constitutas scholas, reapse et singillativis communitatibus, et statui publico damnosas periculosasque posse evadere. Non est hujus loci et instituti, de debita scholarum coordinatione longam texere dissertationem. Nequeo tamen mihi temperare, quin praecipuos duos, in quos facile, hac in parte, incurritur, scopulos, commemorem. Alter horum est: ediscenda tradere pubi scholasticae, quae nullam, aut perquam exiguam ipsi olim adlatura praevìdentur utilitatem, quaeve minus congruunt conditioni ejus, et futurae vitae rationi. Periculosum quippe est, farcire mentem hominum ideis et cognitionibus, statum ipsorum, in quo per divinam providentiam sunt collocati, oppido excedentibus. Talia etenim eos rêddunt minus sua sorte contentos, hocque ipso infelices; reddunt ambitiosos, sciolos, et subordinationis rectique ordinis impatientes. Alter magis adhuc perniciosus, qui nostris praesertim temporibus invalescere coepit, error est, scholas ab institutione religiosa velle separare; quam separationem reformatores aevi nostri emancipationem scholae ab Ecclesia compellant. Vel ex iis nimirum, quae supra memoraram, patescit, non dari veri nominis morum probitatem, nisi quae religionis superstructa sit fundamento. Nec vera humani cordis cultura vel cogitari potest, absque religiosa fide, jugique ejus exercitio. Et, siquidem homo non mente solum, sed et corde sit praeditus: mancam admodum nanciscetur educationem, cujus mens tantum, non etiam cor fuerit excultum. Imo multifaria docet experentia, homines rudis et perversi cordis, eo esse so-

cietati periculosiores, quo amplius rerum notitiis suum ditarunt ingenium.

Itaque, cum insignis scholarum popularium utilitas prudenter negari non possit: sane Sacerdos, et pastor animarum, qui iis solertem suam commodat operam, praeclare meretur de popularibus suis, verumque monstrat patriotismum; qui eo uberiores ferre debet fructus, quanto est evidentius, neminem, in hac sphaera felicius, ac efficacius posse operari, quam Sacerdotem, ac potissimum Curionem sacrum, regendae paroeciae praepositum. Quippe parochus vi sui sacri muneris, jugiter in medio suorum fidelium manens, plenam et prolium scholas frequentantium, et magistrorum sibi comparare potest notitiam, nec ullus alius rectius de eorum capacitate, dotibus, et indigentiis sibi efformare valet judicium. Sed et ipse, quo instructus est, sublimioris officii character, contentioni ejus peculiare, intuitu scholarum quoque, indit pondus, summeque salubrem tribuit unctionem. In patria nostra, totoque imperio Austriaco, multum omnino rei ex eo accedit momenti, quod perniciosa illa scholarum a suavi, saluberrimoque religionis jugo emancipationis idea, penes altum regimen nostrum, sint Deo laudes infinitae! necdum repererit aditum, utque sperare licet, vix etiam facile sit reperturum. Imo vero secundum vigens adhuc sistema, scholarum popularium directio apud nos, parochiarum rectoribus est credita, et honorificum districtualis Inspectoris munus exercent Vice-Archidiaconi; qui quantum, vel vi horum suorum munerum, ad florem, incrementum, et prosperitatem scholaris instituti conferre possint? nihil opus est multis demonstrare. Sane a parochorum bona voluntate, zelo, et studio potissimum dependere et erectionem, ubi necdum constitutae fuerunt, et successum introductarum jam scholarum, multiplex, eaque indubia docet experientia. Sed nec cujusquam pluris interest, quam ipsorum sacrorum Curionum, scholarum popularium institutum quo licet fovere solertius. Parum enim prosperabit jactum e cathedra verbi

divini semen, si ager illud excepturus, non sit debite praeparatus: et in cassum ad fertilitatem cogere adlaborabunt, zelosissimi etiam pomarii dominici cultores, adultas arbores, si eae, dum adhuc tenerae sunt plantae, haud debitam acceperunt directionem: talis autem praeparatio et directio, fructus potissimum sunt adcuratae, riteque ordinatae juventutis in scholis institutionis, et educationis.

Principale, summeque momentosum pastoris animarum officium, ut omnes norunt, est publica cultus divini statis temporibus asservatio, et verbi divini ad concionem annunciatio. Nihil sane est, quod mentem hominis caducarum, temporaliumque rerum sollicitudine gravatam, suavius ad Deum, creatorem et conservatorem Universi, elevare; nihil, quod nos, sub onere curarum, et adversitatum fatiscentes, magis reficere, dulcioresque cordibus nostris affectus infundere possit, quam divina majestate dignus, et humanis indigentiis apprime congruus cultus divinus. Talem esse cultum ecclesiae catholicae proprium, pauci ipsorum inimicorum ejus audent inficiari. Vix etiam quisque negaverit, rite ordinatam, dignitosam cultus divini asservationem insignem, imo, dici cum veritate potest, admirabilem in vitae rationes hominum exerere effectum. Idem tenet de assidua, captui et indigentiis populi respondenti verbi divini annunciatione. Qui etiam fieri posset, ut populus singulis Domini, festisque diebus, saluberrimas religionis veritates, probatissimaque morum praecepta ex ore venerati, amatique sui pastoris excipiens, non exoptatos in virtutis vitaeque innocentiae studio faciat progressus? Et, qui eatenus posset ambigere, facile persuadebitur, paroecias, quibus a longiori tempore praesunt sacri Curiones, huic suae obligationi ad omnem amussim respondentes, comparando, cum aliis in contrario positis, tristem videlicet hac in parte defectum patientibus. Videbit primo, ut ita dicam, obtutu, magnam inter utrasque, nec solum relate ad morum integritatem, sed et relate ad exteriorem culturam,

humanitatem, ipsum adeo materialis prosperitatis successum, intercedere differentiam. Facile quoque foret, adductis vel domesticis exemplis, ostendere, communitates parochianas, ob infelicem, quem in cultu divino, solertique, et accomoda in fidei et morum placitis, institutione passi sunt defectum, in totalem paene desolationem lapsas, paucos intra annos, praeclara novi sui Curionis opera, ad tramitem virtutis, cum magno et honoris et prosperitatis suae lucro, esse reductas. Omni itaque cum certitudine asseverari potest: Sacerdotem, imprimis animarum cura occupatum, singularem erga populares suos exercere charitatem, verique nominis patriotam se posse existimare, si praescriptum divinum cultum, suis temporibus, omni cum adcuratione, gravitate, et unctione persolvat, totaque virium suarum contentione in id enitatur, ut creditae sibi animae salubri, rite excocto, maximeque et capacitati et indigentiis earum respondente, verbi divini pabulo jugiter nutriantur. Sed, quod his etiam amplius, dici de idgenus animarum pastoribus cum veritate potest, quod legimus in Daniele propheta: (Cap. 12.) *Qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellae in perpetuas aeternitates.*

Inter gravissimas porro pastoralis muneris partes censetur sacramentalis confessionis institutum. Quam copiosi, quamve salubres ex eo perfectionis moralis, et sanctioris vitae proveniant fructus? norunt fideles, qui illud fide viva, et pura cum intentione frequentant. Sed norunt adhuc uberius Sacerdotes, qui nobilissimum hoc suae vocationis munus, omni cum conscientiae teneritudine, et eximia cum patientia exercent. Novi et ipse Dei viros, qui in confessionali, ob ingentia, quae ex illo in salutem animarum redundare experti sunt, lucra, maximas suas repererunt delicias. Et sane, vix cogitari potest institutum, quod ad tutandam, promovendamque vitae sanctimoniam majorem habere possit influxum, quam sit catholicum poenitentiae institutum. Quippe quantuscunque sit zelus sacri Curionis,

efficere tamen vix potest, ut omnes fideles sui ordinate interveniant publicis seu catecheticis, seu solitis ad concionem sermonibus: pars eorum notabilis semper variis de causis inaestimabili hoc carebit beneficio. Nisi itaque miseras idgenus, vereque compassione dignas oviculas, contra quam egerat Pastor bonus, relinquens nonaginta novem, ut reperire possit centesimam quae aberraverat, tristi suae sorti relinquere velit Curator animarum, vix aptiorem reperiet locum, indigentiis earum subveniendi, quam confessionale, in quo non judicis tantum, sed et doctoris fungitur officio. Sed et sunt permulti, de rurali praesertim populo, qui sine ductore benevolo, nec genium de propriae suae conscientiae statu judicium sibi efformare, nec apta in via virtutis semet roborandi, relapsusque pericula vitandi remedia deligere norunt. His omnibus nedum utilis, sed omnino necessarius est consiliarius, et plenus charitate director spiritualis; quo si destituti fuerint, errabunt per devia, et vel salubris pascui defectu contabescent, vel venenosas carpent herbas, citius tardius tristri suae sorti succubituri. Imo dici cum veritate potest, confessionem sacramentalem, ipsa etiam institutione publica efficaciorem esse ad morum emendationem. Illic enim doctrina, uni soli individuo, habitaque particularium, in quibus id versatur, adjunctorum reflexione impenditur, et jam hoc ipso profundiorem facit impressionem, quam quae in genere et ad multos dirigitur. Sed et animus in homine, suae cum Deo reconciliationis gratia, ad sacrum tribunal accedente, suapte natura ad suppeditata consilia suscipienda promtior est, quam in plerisque quotidianae vitae adjunctis; maxime cum ea ex ejus proveniant ore, quem, qua vices Dei in sacramentorum administratione obeuntem, ab incunabulis didicit venerari. Vel ex his jam colligi potest, quam verum sit, quod asseveravit S. Augustinus in libro de poenit: *Confessio est salus animarum, dissipatrix vitiorum, oppugnatrix daemonum. Quid plura? obstruit os inferni, portas aperit paradisi.* Sed patescit etiam

ex iis, quae dicta sunt, Sacerdotem, qui confessoris munere impigre, eaque, quam rei gravitas deposcit, cum conscientiae teneritudine fungitur, insignem omnino esse popularium suorum, atque adeo patriae suae benefactorem. Dico qui ea cum conscientiae fungitur teneritudine, quam gravitas rei deposcit. Indubium enim est, si administratio poenitentiae sacramenti praepostere, culpabili cum levitate et festinatione, sine mansuetudine, vel plane cum secundariorum finium admixtione fiat: eam, non obstante insigni secus salubritate sua, non modo optatos haud producere fructus, sed et noxiam evadere posse moralitati, imo in periculosum degenerare vitiorum lenocinium.

Magnum in societate malum sunt in dies paene increscentes discordiae, variique generis dissensiones inter conjuges matrimonii sacramento junctos. Tales enim non solum pacem turbant familiarum, sed et in prolium educationem, futuramque earum sortem tristem exerunt effectum, ac non raro periculosis, peccaminosisque affectibus et actionibus occasionem praebent ac nutrimentum. Sed et jurgia, inimicitiae, et odia inter domesticos, illic praesertim, ubi sic dicta patriarchalis vitae ratio obtinet, magis magisque invalescentia ingentia sunt mala, plenaque perniciosissimorum consectariorum; quod nihil opus est argumentis demostrare, siquidem quotidiana experientia innumera in rem suppeditet documenta. Non tam imminuta, quam radicitus evulsa mutua charitas et fiducia, repugnantia invicem studia, fraudes omnis generis, non raro rixae ad sanguinis usque profusionem exasperatae, communia fere, satisque frequentia sunt idgenus simultatum consectaria; ut adeo domus dissidiis infesta, non, ut christiano conveniret nomini, terrestris paradisi, sed veri inferni quandoque speciem exhibeat.

Ad nobile Curatoris animarum munus pertinet, gravibus his malis obviare quoad licet, et, si tamen invalescant, ea omni meliore modo e medio tollere, aut saltem mitigare. Nihil sane convenientius, nihil pulchrius, quam ut praeco evangelii pacis,

sit una angelus pacis. Et quis etiam felicius, efficaciusque hoc munere fungi poterit, quam sacer Curio? Scimus voci pastoris animarum, apud commissas suae curae oviculas, peculiarem inesse vim authoritatis, vel ob eum, quem in ipso suspiciunt sublimem sacerdotii characterem. Et docet experientia, fideles non facile denegare, quod spiritualis ipsorum pater postulat, multaque in ejus gratiam facere, praesertim si sincero erga eum ferantur amore et veneratione, ac plenam de puritate intentionum ejus nacti sint persuasionem. Sed et secus nulli alteri tam copiosa suppetunt media, prospere in hunc finem elaborandi, quam sacro Curioni. Jam in catecheticis et publicis ad concionem institutionibus, ipso sacro tribunali, eam animis indere potest directionem, ut non facile ad talia prorumpant, quae mutuam charitatem, pacem, ac harmoniam seu conjugálem, seu domesticam passim turbare solent et subruere. Personalis porro individuorum indoles, particulariaque familiarum adjuncta, vix cuiquam magis nota esse possunt, quam Curatori animarum, ex ipsa muneris natura, jugiter inter fideles suos commoranti, inque continuo, ac multiformi cum iis contactu constituto. Dubio itaque caret, in pulchro hoc, vereque angelico christianae charitatis officio neminem plus Curatore animarum praestare posse; praesertim si intentionis puritati, et prudentiae pastorali, frangi nesciam jungat patientiam, et tantopere a Salvatore commendatam mansuetudinem; quo sane pacto una veri patriotismi laudem emerebitur.

Saepe incendiis, lue pecorum, fluviorum exundationibus, grandine, aliisque infortuniis communitati gravia infliguntur damna. Quantum eotum beneficium, si habeant, qui paterno suo affectu, sinceraque sua compassione sic consternatos solari possit? qui possit erigere animos ne cadant in desperationem, argumentis e sacrosanctae fidei nostrae veritatibus desumptis? qui eis bonis etiam consiliis suis adsit, in delectu mediorum perpessa damna reparandi? qui opulentiorum corda flectere queat ad porrigendam laborantibus opem, ad ferenda miseris

subsidia? Haec humanitatis, et christianae charitatis officia nemo itidem efficacius ac cumulatius exhibere potest fidelibus, quam proprius eorum pastor animarum. Et, si vere penetratus est fide religiosa, sublimisque suae vocationis sensu; faciet etiam, quidquid in sua situm fuerit potestate, ac sic agendo pulcherrimum nanciscetur campum, suum erga patriam, popularesque suos affectum palam contestandi.

Similiter evenit, nec raro, ut homines inquieti genii, et crumenae propriae lucris smucide intenti, simplicem plebem variis infascinent praejudiciis, falsas ei ideas ingerendo de nescio quibus praerogativis et juribus, fundamento destitutis, de illatis injuriis, impositisque iniquis onerĭbus, et sic porro. Scimus, teste multifaria experientia, integras communitates, indignis idmodi artibus sufflaminatas, ad novas res moliendas, ad denegandam legitimis authoritatibus obedientiam, ponendosque varios illegales et violentos actus determinatas fuisse, indeque ingentia sibi mala adscivisse; multos in carceres esse conjectos, aut secus sensibilibus poenis affectos, aliaque, magna singilativis hominibus, ac ipsi etiam communitati damna emersisse. Sane pastor animarum, prudentia, charitateque sua plurimum contribuere potest, ad fideles suos contra abjectas idgenus leguleiorum et sophistarum artes praemuniendos, defendendos; insigne, hoc quoque modo, popularium suorum patriaeque amoris documentum praebiturus.

Est insuper hominum classis, quae sicut maxime compassione digna, sic et summopere aliena ope est indiga. Autumabitis, Venerabiles Fratres et Filii dilectissimi, me infirmos intelligere, ac imprimis gravi morbo laborantes. Seria aegritudo ipsa per se malum est, quantum ad temporaneam pertinet vitam nostram, maximis calamitatibus accensendum. Sed si ei copulata sit egestas: miserum plane et tenerrima compassione dignum reddit hominem. Extremum autem infortunium adtigit gradum, si aeger insuper peccatorum pondere, et conscientiae

torqueatur remorsibus. Et quis est, qui in deplorabili hoc statu constituto homini veri nominis alleviamen praebere possit et consolationem? Nemo sane alius, quam pastor animarum. Jam eo, quod invisat aegrum, eum blande alloquatur, se compatientem ejus doloribus exhibeat, suavo hujus pectori infunditur balsamum. Videt enim miser infirmus, a cunctis aliis, ipsis fortasse etiam familiaribus derelictus, reperiri tamen, qui sui afflicti status tangatur compassione. Quantus porro exhibito beneficio accedit cumulus, si infirmus in sacro Curione non suum Parochum tantum, sed verum se reperisse animadvertat Samaritanum qui suae indigentiae, quantum potest, et bonis consiliis, et ope e proprio suppeditata, vel ab aliis valentioribus conquisita, laborantem oviculam suam studeat sublevare. Sed inaestimabile prorsus evadit opus charitatis, misero idgenus homini exhibitum, si succedat sacerdoti, eum ad agnitionem peccaminosi sui status adducere, sinceram ei ingenerare contritionem, eumquc per sacramentum poenitentiae Deo reconciliare. Quis etiam vividis satis coloribus depingere possit consolationem, quam persentiscere debet in corde suo et morbo, et fortasse magis adhuc conscientiae remorsibus, futurorumque in aeternitate metu agitatus infirmus, dum se a tanto malo liberatum videt, sententia absolutionis, Dei nomine, per ejusdem ministrum pronunciata? dum videt se adjutum insuper piis Ecclesiae precibus, extremae unctionis sacramento roboratum, imo ipso benignissimi Salvatoris sui corpore, ceu pretiosissimo ad longum aeternitatis iter viatico, provisum. O vere beatam fidem nostram, quae tam sublimia fidelibus suis porrigere novit charismata, tam coelestia gaudia!

Sed nec ipsa mors, quae secus finem imponit cunctis humanis rebus, omnem praescindit necessitudinem, pastorem inter animarum, ejusque fideles intercedentem. Is enim exuvias corporis oviculae suae, preces inter et suspiria, terrae infert benedictae, magnum illic judicii diem expectaturas, animam vero

piis comitatur suffragiis et sacrificiis, relictam denique viduam, proles, et cognatos, de inflicto sibi, defuncti occasu, gravi vulnere dolentes, consolatur spe futurae resurrectionis, eosque ad acquiescendum divinae voluntati paterna cum benevolentia cohortatur; pollicendo, se porro quoque eos affectu et sollicitudine sua complexurum, ac, quoad licuerit, ope et opera sua adjuturum.

Plura adhuc dici possent de beneficiis, e sacerdotalis, pastoralisque muneris exercitio in humanam societatem manantibus. Sed jam ex adductis satis, credo, impatescit, sacerdotalem vocationem, praesertim si ei cura animarum juncta sit, tantae esse, relate ad operandam et temporaneam, et aeternam mortalium salutem efficaciae, ut ea, hac in parte primas teneat, nec ulli secunda possit reputari. Ex quo suapte una consequitur, sacrum Curionem, qui sui ministerii partes ex animo, ad omnem amussim, ardentique cum zelo exequitur, maximum popularibus suis exhibere amoris obsequium, nobilissimumque exercere patriotismi genus. Verum quidem est, principale activitatis nostrae sacerdotalis motivum esse debere amorem Dei, tenerrimum erga Salvatorem pietatis sensum, ac promptum studium obsequii: sed vero nihil hujus motivi seu dignitati seu puritati potest officere, si illud stimulo amoris patriae amplius etiam inflammetur. Et hic fuit scopus, obversans oculis mentis meae, dum ad has pastorales literas exarandas me determinabam.

Venerabiles Fratres, et Filii dilectissimi! Quam inimico tempora nostra erga Ecclesiam catholicam, ipsamque fidem christianam sint spiritu animata? ipsi, propria experientia docti, scitis: ego quoque, iteratis jam vicibus, ad Vos verba in rem feci, nec intermisi acerbos Suae Sanctitatis, summi Pontificis nostri eatenus, in Consistoriis non minus, quam encyclicis literis ingeminatos questus ad Vestram perferre notitiam. Res eo jam processit audaciae, dicam verius impudentiae, ut ipsa san-

ctimonia vitae Salvatoris nostri, quae viginti paene saeculorum decursu, incomparabilis instar paradigmatis, praefulserat humano generi, impiis cavillationibus lacessatur, ejusque divinitas sacrilego ore impugnetur, imo pernegetur quam apertissime. Incredibilis, hoc ex obtutu, temeritatis opus, nuper admodum, lucem conspexit Parisiis, authore certo Renan, membro Academiae Gallicae, ac olim Seminarii clericalis ad S. Sulpitium alumno; quod non modo plures jam in originali suo idiomate sortitum est editiones, sed in praecipuas alias etiam linguas traductum, sua ad omnes partes spargere pergit venena, nec omnino vel conjectura assequi possunt ipsa acutissima ingenia, enormitatem stragis, quam infernale hoc opus editurum est in regno fidei et morum. Quamvis enim nullis superstructum sit veritatis criteriis, planeque abundet arbitrariis asseverationibus et figmentis, imo apertis scateat contradictionibus: tamen, cum exaratum sit stylo minus etiam eruditis pervio, ac fere populari; pertextumque narrationibus levis armaturae lectorum animos, romanensium instar fabularum, captivantibus: nemo prudenter potest dubitare, illud perniciosum influxum in multorum mentes cordaque exerturum. Quod nec aliter esse potest, hoc praesertim aevo nostro, quo, parte ab una, pauci solidam de veritate, sanctitateque suae fidei convictionem in juniori aetate sibi gestiunt comparare, parte vero ex altera, permulti vitam practice irreligiosam vivunt, omnique generi sensualitatis, et concupiscentiae illiciis patulam. Accedit malo ingens per id cumulus, quod perniciosus hic liber, in nostra etiam Monarchia, publice venalis prostet in cunctis pene bibliopoliis. Certe, si in conformitate vigentium legum, prohibitum est, injuriis lacessere quamcunque e receptis, vel admissis in Imperio religionibus: concipi non potest, quomodo tolerari queat liber, qui impio ore blasphoemat ipsum sanctissimum fidei christianae authorem, et qui manifeste in subruitionem tendit religionis, quam profitetur longe maxima pars incolarum Monarchiae? Sane et publici

Status ratio postularet, tantae impietatis scripta severe interdicere; cum certum sit, subruta in mentibus, cordibusque hominum religiosa fide, et quae ei inseparabiliter conjuncta est moralitate, nec ipsam civitatem diu sospitem et incolumen posse persistere.

Sed et secus politicus, ac socialis Europae status tam est precarius, tam incertus, ut metuendum omnino sit, ne tristes convulsiones, infaustaeque erumpant tempestates, ampliores adhuc calamitates generaturae. Malum ipsum agnoscunt omnes, cujuscunque secus sint coloris politici, et quaecunque in reliquo foveant, et profiteantur principia. Sed vero, si de origine, causisque tanti mali quaeratur, variae, non raro e diametro oppositae, promuntur sententiae. Nonnulli eorum, qui liberales amant compellari, imo plerique ipsorum, infelicitatis causam in eo reponunt, quod nationum jura, ac libertates necdum eam nactae sint evolutionem, quae iis suapte natura competit; contra — regnantes, et altiores magistatus, plus, quam justum sit, sibi arrogent potestatis et activitatis. Et hi quidem tum tandem periculum submotum iri, populosque contentos, et felices futuros arbitrantur, si eorum in ferendis legibus, ipsoque regimine authoritas suae dignitati restituta, et ad eum gradum evecta fuerit, ut principes nationum voluntati, et non hae illorum judicio plene se debeant accomodare; si omnes reactionarii, ut aiunt, nisus cessaverint, et evolutionis nationalitatum, omnimodae libertatis, et aequalitatis principio sincere institum, prelo et associationibus popularibus, jure naturae, ut praetendunt, debita, id vero est irrestricta facultas concessa fuerit; si status publicus perfectam civibus suis, in rebus ad religionem pertinentibus, sentiendi, suaeque persuasioni congrue agendi, licentiam tribuerit, ipse vero nulli confessioni adhaeserit, sed suum omnibus invigilandi, inspiciendique jus rigorose custodierit; nullis proinde cum Sede Pontificia Conventionibus locum dederit, et eas, quae ante initae sunt, resciderit. Horum, simi-

liumque principiorum adoptatione, novi hi societatis humanae reformatores, pacem et harmoniam tranquillitatem publicam, ac omnis generis prosperitatem revehendam credunt, aut, si non credunt, certis tamen suis finibus inducti, perfracte asseverant.

Peculiaria sunt, quae in rem fovet sensa potens ille Imperator, a cujus nutu, ut cum veritate dici potest, dependet, an Europa tranquillitate publica porro perfruatur, vel horrendis bellis involvatur? Is videlicet, variis occasionibus jam antehac, recentissime vero in suo ad legislativum Galliae corpus habito alloquio, palam edixit: tractatus internationales de anno 1815., id vero est, pacta illa conventa, quibus rerum ordo publicus in Europa, plerorumque Imperiorum et Regnorum jura, hucdum innitebantur, suum amisisse vigorem, novamque, novis principiis superstruendam, coordinationem inomisse necessariam esse, nec secus cruenta bella posse evitari. Cujus generis sint nova haec principia? ex antecedaneis manifestationibus, factisque ejusdem potentis dominatoris facile est autumare; nec dubitari potest, praecipuum in illis locum tenere principium nationalitatis. principia item, per nationalem Galliae conventum anno 1789. proclamata. Et in hoc quidem multi sapientum admirabilem vident seu humanae mentis caecitatem, seu affectuum perversionem Quippe absonum prorsus existimant, in iis recte principiis quaerere humanae societatis salutem, quae, vix ac edita in lucem fuerunt, revolutionem pepererunt, qua atrociorem nec vetusta, nec recentiora saecula viderunt; in principiis, quae has etiam, quae nos exercent calamitates, maxima sui parte generarunt, aut saltem infaustum, ex quo eae progerminarunt semen, mentibus, cordibusque humanis injecerunt.

Et reapse, e cunctis adusque memoratis, similibusque remediis, juxta intimam convictionem meam, tam parum efficax malis, quae nos premunt, medela parari potest: quam parum aegro, sanguinis incensione aestuanti, stimulantium, succonsi-

vorumque potuum infusione optata sanitas et valetudo potest restitui.

Dispar prorsus hoc in merito est judicium sanctissimi Patris, Summi Pontificis nostri. Declaravit quippe Sua Sanctitas palam, interatisque vicibus, principalem, ac paene unicam malorum, quae in praesentia Europam exercent, causam inde esse repetendam, quod vehementer refrixerit fides christiana in mentibus, cordibusque hominum; quod a placitis sacrosanctae religionis, et effatis Ecclesiae catholicae, quae est, manetque infallibilis magistra veritatis, magis in dies recedatur; quod nec aeterna juris et justitiae naturalis principia amplius suo gaudeant vigore, sed aperte violentur, procusis novis ad tegendas iniquitates axiomatibus; quale, exempli cuusa, est sic dictum facti completi, item de non interveniendo, etiam si interventionem publica pacta, justissimaeque causae postulent. Huic Capitis Ecclesiae sententiae plenum assensum praebuerunt non tantum, qui, dum recentissimi martyres Japonenses Sanctorum cathalogo inferrentur, Romae coram aderant, sed omnes fere, per universum catholicum orbem dispersi Praesules. Horum declarationi et mea tenuitas toto corde adstipulatur; utpote, qui plane convictus sim, nisi ad illum veritatis, humanaeque prosperitatis fontem, qui solus mundum gentili corruptioni eripere potuit, fidem quippe christianam, ejusque genuina placita, reversi fuerint homines: nulla ingenii commenta, nullos etiam conventus, conferentias aut congressus, his tantis quibus mundus laborat, calamitatibus, modum posituros; imo eo ampliora mala subsecutura, quo arrogantius mens humana propriis suis confiderit viribus, seque saluberrimo divinae revelationis lumine carere posse existimaverit. — Hunc Vos quoque Venerabiles Fratres ac Filii dilectissimi, fovere sensum plane mihi persuadeo; eoque in certiorem spem erigor fore, Vos, quae his complexus sum pastoralibus literis, omni Vestra attentione et contentione digna judicaturos. Magna quidem est conjurata vis malorum,

ingens aevi nostri perversio; ea tamen, credite mihi, praevalere non poterit, si Sacerdotium, ejusque membra, in sua quisque sphaera, indefesso studio, cumque plena sui ipsius immolatione, sacrosanctae suae responderint vocationi. Habemus eatenus inviolabile verbum Salvatoris nostri, qui pollicitus est, se nobiscum futurum, ad consumationem usque saeculi. Et quantopere nos stimulare, in nobili hac contentione, debet intima illa persuasio, quod laborantes pro sanctissimis religionis finibus, una praeclare mereamur de temporanea quoque patriae, imo totius humanitatis prosperitate!

Caetera, dum intuitu jejunii et abstinentiae quadragesimalis, impertiendaeque eatenus e rationabilibus causis, dispensationis, nec hoc anno quidquam immutandum me censuisse declaro, pro coronide verbis divi Pauli apostoli a vobis divellor: *Justificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem et habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, et gloriamur in spe gloriae filiorum Dei. Non solum autem sed et gloriamur in tribulationibus: scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Gratia Domini nostri Jesu Christi sit cum omnibus vobis, Fratres, Amen.* Datum Zagrabiae Dominica septuagesimae, in 24. Januarii incidente anno reparatae salutis 1864.

Georgius Cardinalis Archi-Episc.

IV.

Literae pastorales,

DE AUCTORITATE.

Venerabiles fratres, et filii dilectissimi!

In ea, quam ex immerita benignitate divina attigi, provecta aetate constitutus, promittere mihi non possum, me post exactos viginti et sex pastoralis muneris annos, longo adhuc tempore in medio Vestri, Venerabiles fratres, et filii dilectissimi, moras acturum. Quippe ante septennium complevi annos, in quibus scriptura dicit consistere dies hominis, magnisque passibus festino ad eum terminum, quem eadem scriptura sacra *in potentantibus*, id vero est raro omnino mortalibus tribui solitam compellat. Quo magis enitendum mihi existimo, nihil subtrahere eorum quae tenues meae vires ad Vestram conferre possint aedificationem, et sanctissimis religionis finibus quoquo modo subservire. Itaque, quod praecedentibus cunctis Episcopatus mei annis facere consveveram, nunc quoque, imminente e propinquo sacrae Quadragesimae tempore, facere constitui: quippe paterno cum affectu dirigere ad Vos verba salutis, qualemcunque piis, ad quas Ecclesia, hoc praesertim majoris jejunii tempore, et frequentius et solertius instituendas nos invitat, meditationibus materiem suppeditatura.

Delegi autem, hac vice, loqui de *Auctoritate.*

Quippe qui, sobria mente praeditus, et studio veritatis animatus, temporis nostri rationes rite expenderit: non poterit non agnoscere: calamitatum quae nos premunt, si non praecipuam, unam certo e potioribus causam in eo cubare, quod cuncta auctoritatum genera in dies magis contemnantur, deprimantur, poeneque evilescant. Qui de re dubitaret, aut plane eam inficiari auderet: vel ex iis, quae in praesenti dissertatione exhibentur, perfectam, ut confido, eatenus haurire poterit convictionem. Vix itaque quidquam melioris me facere posse existimabam, quam si in fontes hujus, tam perniciosi pro humana societate mali, indagando, erroneos, qui undique se monstrant, in rem conceptus indigitando, tristissimasque ejus sequelas expendendo, Vobiscum, fratres filiique dilectissimi, in remedia indagavero, minuendae saltem, et leniendae periculosae adeo, imo extremum humanae prosperitati excidium minitantis hujus contagionis. Quod quidem exequor his pastoralibus literis. Caeterum nil pensi duco aperte confiteri, me in hac dissertatione potissimum, ac poene de passu in passum, vestigia secutum fuisse unius e praeclarissimis aevi nostri oratoribus sacris, qui, momentosam hanc materiam singulari ingenii acumine, magna cum eruditione, cumque profunda humani cordis cognitione, ac vere admirabili eloquentia elucubravit.

Ut de re fundate loqui possimus, imprimis necesse est determinare:

Quid proprie nomine Auctoritatis intelligatur?

Auctoritas, spectata ipsa etymologia vocis, involvit auctoris ideam. Omnis qui auctor est cujuspiam rei, pollet in eam auctoritate. Deus, sensu stricte, est unicus rerum omnium auctor, ceu coeli et terrae creator; est dominus omnium, summaque auctoritas: quia est omnium efficiens principium. Homo, divinae potestati associatus, aeque evadit auctoritas, in quantum est

auctor cujuspiam rei. Hoc sensu dantur auctoritates in scientiis, literis, artibus. Homines in oculis aequalium suorum, creando, aut coordinando rem, vel societatem auctoritatis honorem consequuntur; et quidem ea in mensura, in qua creandi vel constituendi gaudent potentia.

Stabilito hoc principio, facile intelligitur, ubi proprie resideat vera ratio autoritatis socialis, de qua nobis in hac pertractatione potissimum sermo est? Auctoritas socialis manat ex potestate creandi, aut coordinandi societatem, respectu finis, cujus gratia homines in societatem coiverunt. Homo praestantioribus a Deo dotibus instructus, comparet in quadam natione; reperit homines mutuis pugnis et infestationibus deditos, populum in abjecta servitute, societatem in tristissimo statu positam. Ope facultatum, a Deo sibi concessarum, hic homo dispersa colligit, separata coadunat, restaurat omnia, et reddit populum sobria libertate gaudentem, societatem rite ordinatam et prosperam. Hic homo gaudet auctoritate, imo ipse potest dici idgenus societatis auctoritas. Seu Deus ipsi immediate hanc contulerit potestatem, quemadmodum olim contulit Moysi; seu eam contulerit interventione rerum et eventuum, divinae, cuncta penetranti providentiae, cooperantium: hic homo gaudet auctoritate, gaudet jure gubernandi hanc taliter per se coordinatam, ac quodammodo novitus creatam societatem; ac huic ejus juri e parte caeterorum respondet obligatio dispositionibus ejus obsequium praestandi. Emergent fortasse aemuli, hinc inde caput in eum eriget livor, invidia. sed maxima societatis pars ejus agnoscet autoritatem; dicet: Tibi data est potestas, creandi inter nos ordinem, libertatem, prosperitatem; tu es rector, gubernator noster, nos tibi honorem exhibebimus, et obedientiam in cunctis, quae pertinent ad promovendum scopum societatis nostrae. Doctrina haec nil communis habet cum glorificatione despotismi, vel crudae vis et violentiae consecratione. Exposito etenim sensu sumpta auctoritas, est potestas moralis.

Sive illa proveniat ex consensu nationis, sive jure nativitatis, sive ex alia quapiam rerum conformatione, in qua divina providentia se vario modo solet manifestare: potestas creandi aut restaurandi societatem est potestas moralis, cui suapte natura inhaeret idea auctoritatis. Hoc sensu sumpta

Auctoritas est absolutum humanae societatis requisitum.

Primum cujusvis humanae consociationis elementum est ordo. Omnis motus extus ordinem existens, est deviatio, est passus extus viam, ad praestitutum societatis finem ducentem, positus. Et, dum de ordine loquimur, intelligimus ordinem permanentem, qui praecipuum perdurantis societatis elementum constituit. Siquidem societas sit corpus morale, quod vivere debet ac perseverare: manifestum est, eam stabili opus habere ordine. Haec autem stabilitas ordinis nonnisi auctoritatis interventu potest obtineri. Auctoritas quippe creat ordinem, cum sit suapte natura centrum vitae socialis; sit vis unitiva per excellentiam. Auctoritas creat unitatem corporis socialis in suorum multitudine membrorum. Ut adeo auctoritatis operatione ordo in societate nascatur, perseveret, eique verae pulchritudinis tribuat characterem.

Cum stabilitate ordinis, auctoritas creat aliud elementum, progressivae societatis evolutioni prorsus necessarium; quippe libertatem. Societatis humanae indoles est, ut crescat, evolvatur, seque magis perficiat. Id vero absque libertate impetrari nequit. Splendidissima societas absque sobria libertate similis est statuae lapideae, cujus admirari possumus pulchritudinem, sed quae omni vitali motu destituitur. Quaeris jam, quid producat hanc libertatem, hanc societatis evolutionem? Fortasse extraordinariae hominum, ad gubernii clavum sedentium, ingenii dotes? fortasse regiminum systemata, aut plane revolutionum

triumphi? Nequaquam. Quod veram procreat libertatem socialem, est eadem potentia, quae creat ordinis stabilitatem; est regularis operatio, quam exercet.

Philosophia circa finem saeculi decimi octavi et exordium saeculi 19. invalescens, studiose demonstrare nitebatur, societates civiles eo majori gaudere libertate: quo eae determinatius excutiunt jugum auctoritatis. Dicebant, actuque sustinent hi pseudophilosophi: Progressum socialem esse victoriam libertatis, de fatalismo reportatam. Sed in his declamationibus in quibus confusio rerum idearumque parit confusionem lingvarum et expressionum, fatalismus significat auctoritatem, libertas independentiam. Opponendo libertatem auctoritati, hi homines, gloriam profundae sapientiae affectantes, omnimode persvadere volebant nationibus, tantum accrescere libertati, quantum decerpitur auctoritati. Sed vero historia generis humani protestatur contra haec asserta, eaque mendacii arguit. Demonstrat quippe ea, semper et ubique veram libertatem populorum crevisse ea proportione, in qua se magis, perfectiusque evolvebat functio auctoritatis. Exempla, quae in contrarium allegari posse videntur, non sunt, eadem historia teste, realia, sed apparentia. Potest in vita populorum monstrari ruina libertatis, per abusum auctoritatis prognata; sed libertatem nuspiam reperimus, nisi scuto protecta fuerit auctoritatis. Id et sana monstrat ratio, quae clare agnoscit, illic, ubi desideratur auctoritas, necessario anarchiam regnare, et ubi anarchia regnat, libertatem non posse subsistere. Ut libertas possit vigere in societate, in qua semper, nec pauci se paratos praestant ad aliorum subjugationem: inevitabiliter opus est potestate, quae defendat uniuscujusque libertatem contra omnes, et libertatem omnium contra singulorum assultus. Et haec tutrix potestas appelatur auctoritas; auctoritas inquam, quae omnium tuetur libertatem, contra quemvis despotismus, et quae praedita esse debet brachio, ac in casu

necessitatis etiam gladio, ad compescendam audaciam perversorum.

Historia porro luculentissimum praebet testimonium, cunctas res magnas, in humanis societatibus productas fuisse per fortes, et vigore plenas auctoritates; sub quarum aegide populi firmo pede procedebant per semitas juris et justitiae, ac in debito sibi incumbentium obligationum implemento. Quamvis auctoritas non sit ipsa vis productrix: est tamen genus elaterii, sub cujus impulsu humanae societates progressivam suam operantur culturam ac prosperitatem. Nationes auctoritate destitutae, exiguos, miserabilesque generant fructus, non raro e contra monstrosas a recto tramite aberrationes. In nationibus idgenus, vires humanae in sterilitatem decidunt. Societates, in quibus deest auctoritas, possunt destruere, non possunt creare; sciunt diruere, quae sapientia et pietas majorum construxerat, non sciunt aedificare; langvescunt propria debilitate sua, et, si quandoque concipiant bonarum rerum germina: eas non valent edere in lucem, ac ad maturitatem perducere; antecessumque ad ignominiam abortus conceptionum suarum sunt condemnatae. Vel non vidimus ipsi, quae evenerint in medio nationum, apud quas auctoritas suis excussa fuit fundamentis? An non videmus actu, quantopere vacillent, quam tristem in modum agitentur idgenus nationes variarum tempestatum fluctibus? Consistentia hujusmodi populorum omni momento est exposita interitus periculo: non videntur ii amplius vivere posse; tantopere resentiunt defectum auctoritatis, praecipui hujus vitae nationum elementi. Nec subsistunt infelices idgenus nationes, in suo versus praecipitium cursu, nisi dum aliquam rursus sibi reconstruxerunt auctoritatem: proprio discentes detrimento, melius esse vivere sub auctoritate quantumque debili, aut etiam despotica, quam vivere absque auctoritate. Debilis enim, aut potestate sua abutens auctoritas reddit societatem morbidam, sed consummatus auctoritatis defectus ei adimit vitales spiritus,

et mortem adsciscit. Nec unquam vividius sentiunt nationes indigentiam auctoritas, quam ubi audacia perditorum hominum, aut quocunque alio infelici eventu, corruentes throni et dinastiae, ipsi auctoritati extremum minantur excidium. In medio lugubris idmodi convulsionis, citius tardius excitatur tandem natio ex profundo, in quem corruptorum principiorum infelicitate, vel morum perversitate conjecta fuerat, somno, ac videns se et firma, super qua pedes figere queat, basi, et tecto, quo suum tutare possit caput, destitutam, sicque in medio quodammodo vacui pendulam, exclamat ingenti cum anxietate: Ubi est autoritas? Similis est eotum natio viatori, qui mediis noctis tenebris, in manus incidit latronum: omni quippe destituta tutrice potestate, se videt perversitatis et audaciae traditam arbitrio. In idmodi catastropha mali omnes, et nihil possidentes spe rapinarum exultant, boni quique, et vel uno adhuc meliore habitu provisi, horrore concutiuntur; scelerati vident crimina sua omni freno soluta, et exultant; justi innocentiam suam omni defensore et refugio destitutam, et sollicitudinibus metuque contabescunt. Tandem ii ipsi, qui universali calamitati applaudebant, suosque celebrant triumphos, super ruinis concussae auctoritatis, suam instaurant potentiam, trepidanti nationi acclamantes: Nolite desperare, adest auctoritas, et haec auctoritas sumus nos; sicque ferrea passim virga, et pro suo arbitrio dominatum exercent, donec et ipsi pejoribus adhuc tyranis locum cedere cogantur. Ut adeo beneficium auctoritatis nunquam magis appareat, quam dum sociales tempestates, et revolutiones omnem subruerunt auctoritatem.

Ex his, satis, credo, impatescit, auctoritatem primum esse in humana societate ordinis, verae libertatis, omnisque socialis progressus et prosperitatis elementum, primam summeque necessariam conditionem.

Videamus nunc, quid, qualisve fuerit, ante adventum Salvatoris

Auctoritas apud gentiles nationes?

Notum est nobis omnibus, antequam Salvator noster divinum suae doctrinae lumen in his terris accendisset, mundum universum in iis, quae ad veri Dei agnitionem, ad originem et destinationem nostram, ad rationes futurae vitae, aliasque veritates, quas scire humano generi plurimum interest, spissis fuisse tenebris involutum; ipsa etiam purae moralitatis, vitaeque innocentiae axiomata passim ignota fuisse, aut diversis praejudiciis, falsisque dogmatibus deturpata. Nec solum rudis hominum massa crassa, hac in parte, ignorantiâ, perniciossimisque laborabat erroribus: sed ipsi etiam philosophi, acutissimo secus ingenio praediti, omnique poene scientiarum genere exculti, his in rebus miserandum in modum caecutiebant. Haud itaque supponi potest aliud, quam eos in pari fuisse ignorantia constitutos, paribusque laborasse erroribus, relate ad ea, quae ad verum auctoritatis conceptum, indolem, et scopum referuntur. De his gentilis mundi aberrationibus et hallucinationibus, occurret, in subsequis hujus dissertationis tenoribus, occasio plura memorandi, quae hoc loco, ne repetitionibus lectori molestiam facessamus, specialius haud recensebimus. Sufficit in genere advertere, corruptissimos illic, prorsusque a vero aberrantes grassari debuisse de auctoritate conceptus, ubi unus tyrannorum, quo magnifico ardentis urbis perfrui posset spectaculo, eam succendi jussit, christianosque pice illitos cremari, ut barbara populi festa collucentibus eorum corporibus illustrarentur; ubi alter octoginta mille hominum sangvine et sudore construi jussit aedificium, eo solum scopo, ut suos superbia tumentes pascere posset oculos, et legare posteritati immensam lapidum congeriem, cui similem antehac mundus non vidit; ubi totius poene terrarum orbis divitiae, populorum lachrimis inundatae, mille affluebant canalibus, ad construendas Neronis, Titi, Caracallae, Adriani et Diocletiani thermas, aureaque palatia, alia

aliis splendidiora, eo unice scopo, ut unius monstri vanitati alendae subservirent. Ubi inquam talia, et similia, nec per exceptionem tantum, sed ex communi quodammodo more, locum sortiebantur: ibi sanae de autoritate ideae regnare non poterant; ibi auctoritas tristissimarum oppressionum, ingentiumque malorum multitudinem in suo ducere debebat comitatu. Caeterum nemo prudenter potest inficiari, haec ipsa, adeo humanae dignitati repugnantia, et christianae perfectioni adversa auctoritatum simulacra, minora tamen populis intulisse mala, quam si ii omni prorsus fuissent destituti auctoritate: in posteriori namque casu, ipsum civilis societatis aedificium concidere debuisset, et humanum genus in feritatis horrorem erat degeneraturum.

Vera auctoritas per Salvatorem stabilita.

Jesus Christus, Salvator noster, quemadmodum aliarum veritatum notionibus illuminavit humanum genus, genuinisque innocentiae vitae et sanctitatis imbuit principiis: sic et momentosissimam auctoritatis quaestionem exemplo, doctrinaque sua resolvit, ac constabilivit ita, ut ea societatis humanae indigentiis, prosperitatique plene posset respondere.

Quodam die, ut refert Matthaeus Evangelista, *veniens* idem benignissimus Salvator noster *in partes Caesareae Philippi, interrogavit discipulos suos dicens: Quem dicunt homines esse filium hominis? At illi dixerunt: Alii Joannem baptistam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex Prophetis. Dicit illis Jesus: Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus, Filius, Dei vivi. Respondens autem Jesus, dixit ei: Beatus es, Simon Bar Jona, quia caro et sangvis non revelavit tibi: sed Pater meus, qui in coelis est. Et ego dico tibi: quia tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam,*

et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Ecce fundamentum autoritatis, quod Jesus Christus deponit super uno homine, tamquam viva petra, in qua totum Ecclesiae suae aedificium debeat consistere.

Alio die, antequam in sinum aeterni sui Patris remearet idem Salvator, gloriose a mortius resurgens, teste eodem Matthaei Evangelio, dicit stanti ante se toti Apostolorum collegio: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti: docentes eos servare, quaecunque mandavi vobis. Et ecce; ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi.* Quocunque e visus punctu considerentur haec verba: vim iis inesse potestatis transformatricem nemo potest prudenter inficiari. Nos, qui dicere amamus cum divo Petro: Tu es Christus, Filius Dei vivi, agnoscamus necesse est, his verbis divinam inter homines constitui auctoritatem. Quicunque enim non vult pertinaciter repugnare veritati, admittere debet, his verbis stabilitam esse auctoritatem, cujus radix est auctoritas Jesu Christi. *Omnis potestas*, ait, *mihi data est in coelo et in terra*, et hanc potestatem ego trado vobis. *Sicut misit me Pater, ita et ego mitto vos.* Id est: quemadmodum auctoritas mea est Patris mei auctoritas: ita vestra auctoritas est mea auctoritas. *Qui vos audit, me audit: et qui vos spernit, me spernit.*

Haec ita per Salvatorem constituta auctoritas, considerata ejus origine, ejus objecto, et ejus fine, perfectam etiam intuitu ideae et exercitii auctoritatis humanae, operata est transformationem.

Dicet fortasse aliquis; haec cuncta ad spiritualem referuntur Apostolatus, et Ecclesiae auctoritatem, nec quidquam communis habent cum civilibus auctoritatibus, quibus respublicae statuum ac populorum gubernantur. Id quidem, spectato stricto verborum sensu, negari non potest; sed pariter negari

non potest, hanc per Salvatorem tali modo factam spiritualis auctoritatis inaugurationem, ingentem in quasvis etiam alias auctoritates exeruisse influxum. Jesus Christus Regnum Dei, id vero est Ecclesiam suam, comparavit grano synapis, item fermento, quod parva in quantitate missum in farinam, mox totam permeet massam. Nimirum admirabili sapientiae divinae visum fuit, non illico in exordio christianae fidei cunctas, quae in ea continebantur, explicatius proponere veritates; sed germina tantum earum deponere, e quibus successive, sub assistentia Spiritus sancti, maternaque Ecclesiae sollicitudine, caeterae evolverentur, donec totum coelestis doctrinae corpus coalesceret. Haec divinae sapientiae oeconomia multis potest comprobari exemplis. Hic unum adduxisse suffecerit. Nec divinus fidei nostrae auctor Jesus Christus, nec instituta per eum Ecclesia uspiam positive sustulit mancipatum hominum; sed vero docendo, omnes omnino homines filios esse Patris coelestis, esse invicem fratres, pretioso Christi sangvine redemptos, et propterea pari quo nos ipsos complectimur amore diligendos: firmissimum abolendi successive mancipatus deposuit fundamentum; quae abolitio etiam subsecuta est apud omnes christianos populos, paucis exceptis, quibus questus et turpis lucri cupiditas magis cordi fuerant, quam sanctissima fraterni amoris, et fidei christianae axiomata. Idem tenet intuitu ejus de qua agimus, auctoritatis. Non explicuit Salvator positivis legibus, quomodo ea debeat esse comparata, quibusve speciatim characteribus instructa? sed vero instituendo, ut vidimus, Ecclesiam suam, insigne praebuit exemplum, typumque exhibuit, quem cunctae caeterae auctoritates imitari, ac in semet ipsis, quoad licet, debeant exprimere. Quod magna in parte reapse etiam factum esse, multifaria docuit, actuque docet experentia.

Nimirum restaurata, aut, ut verius dicam, creata genuina auctoritate, sanati fuerunt falsi gentilis mundi de ea conceptus: ac signanter sublati sunt tres illi graves errores, quibus

gentiles, hac in parte, laborabant, et de quibus nunc nobis specialius agendum.

Primus, ac praecipuus, in gentili mundo, quoad auctoritatem, error fuerat, quod eam non divino, sed unice humano juri innixam sibi repraesentaverit. Hodiedum, si sufferas e humana societate Jesum Christum: non remanebit aliud, quam jus humanum in eo, qui gubernat, et subjectio sub humanum arbitrium ejus, qui obtemperat auctoritatem exercenti. Hoc est, nostris cumprimis temporibus, venenum illud omnis auctoritatis fundamenta corrodens; principium quippe quod respectus et obedientia auctoritati exhibenda, nec deposcatur, nec deberi existimetur, quia promanat ex Jesu Christo, qui omnem consecravit auctoritatem, sed unice debeatur homini, qui potestatem exercet. Hinc est repetenda generalis illa nostri saeculi tendentia, discutiendi, impugnandi, contemnendi omnem auctoritatem. Homo sum, dicunt isti christiana fide exuti, et superbia tumidi spiritus, nec patiar ut aliud, jure et natura mihi suppar ens, mei dominetur. *Quis noster dominus est?* Recedant tyranni, qui super libertate mea sibi arrogant potestatem. *Dirumpamus vincula eorum, et projiciamus a nobis jugum ipsorum.* Ita cogitant, ita loquuntur homines ubique, ubi auctoritatis conceptus non aliam, quam humanam involvit ideam. Et, si, per summum infortunium, res eo processerit, quemadmodum metus est ne procedat, ut e frontibus eorum, qui potestatem exercent, omnis evanescat divinae species auctoritatis: vae eotum mundo! indubie incidet in anarchiam, cui fere semper succedit ferrea ab una parte tyrannis, abjecta ab altera parte servitus. A gravi hac plaga liberaturus humanum genus Salvator noster, consecravit in homine divinam auctoritatem: auctoritas namque Ecclesiae, christiano sensu sumpta, non aliud est, quam auctoritas divina in humanitate. Et secundum doctrinam Christi, caeterae quoque potestates non exercent auctoritatem nisi Dei nomine, et virtute. *Omnis anima,* scribit

Paulus Apostolus ad Romanos, *potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi a Deo; quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt.* Hoc pacto humana dignitas optime conciliatur cum obedientia, cuicunque legitimae auctoritati debita. Christianus, dignitose elevando frontem suam, optimo jure dicere potest: si mihi imperas qua homo, propria tua actoritate: non obedio. Sed si mihi imperas nomine illius majestatis, a qua totum pendet in coelo et in terra: ecce me docilem, obedientem, plenum venerationis. Perbene enim intelligit homo fide christiana praeditus, quod a supremo rerum omnium Domino promanans praeceptum non possit in suam cedere ignominiam, imo quod obediendo, dignitatem sibi adsciscat, et quidem tanto ampliorem: quanto obedierit promptius. Ipsa servitus, in quam quocunque fato incidit homo christianus, eum non potest sua exuere dignitate: nam et compedibus gravatus scit, se non violento oppressori, sed Deo suo, obsequium etiam discolis praepositis praestrari jubenti, obedire.

Alterum vitium radicale gentilis auctoritatis, ex primo illo promanans, fuit, estque actu, apud omnes fidei christianae lumine destitutas nationes, iniqua humanae conscientiae oppressio. Gentiles quippe auctoritates nequaquam se contentas praebuerunt dominari corporibus subjectorum sibi populorum, sed eorum etiam mentibus et animabus concupiscebant jugum imponere. Hinc tanta illa tamque multiplex, in opiniones, persuasiones, judiciaque hominum exercita tyrannis; hinc crudelissimae illae persecutiones, in quibus centena christianorum millia sub exquisitissimis tormentis vitam amiserunt, unice propterea, quod turpia, omnique vitiorum genere scatentia falsorum deorum simulacra, aut plane statuas ipsius paribus sceleribus inquinati tyranni renuerint adorare. Ad eripiendum humanum genus ex abominabili hac servitute, necesse fuit creare in mundo auctoritem, quae gubernaret animas ad immortalitatem conditas, quemadmodum ipsa a Deo, principio et institutore suo, guber-

natur. Et hoc praestitit Jesus Christus Salvator noster, dirigendo ad Apostolos verba jam superius citata: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quaecunque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Itaque Jesus Christus ex divinae suae potestatis plenitudine, auctoritatem tribuit Apostolis suis. Et qualem auctoritatem? Non dicit: ecce gladium, ite et percutite, subjugate corpora mortalium. Sed dicit: Ecce verbum, quod pono super labia vestra; ite et compellite, ejus virtute, animas intrare in regnum veritatis: qui non crediderit sermonibus vestris, recipiet promeritam poenam a Patre meo. *Qui non crediderit condemnabitur.* Hoc modo creavit Jesus Christus regnum animarum, cujus ipse est centrum. In meditullio se locans saeculorum, ait: Ecce regnum meum, venite ad me cunctae animae Orientis, animae Occidentis, omnium orbis partium animae venite ad me, *ego dominus, et non est alius.*

Hoc regnum animarum Jesus Christus communicavit Ecclesiae suae, ut gubernaret animas usque in extremos angulos terrae, inque finem saeculorum. Regnum hoc est unum, est incommutabile, est proprietas Ecclesiae sanctae catholicae. Philosophi, legislatores possunt hanc ei controvertere potestatem: ea tamen perstitura est talis, qualem Deus esse voluit. Hoc factô, difficile est explicare, quantum idmodi institutio praestiterit intuitu auctoritatis, dignitatis, et libertatis hominis christiani. A tempore consummatae hujus institutionis, nullus amplius despotismus, nulla tyrannis potest, absque ingenti christiani orbis resensu, dominium sibi arrogare in animas; non potest iisdem constringere compedibus hominum corpora et spiritus. Quodsi populi a fide catholica deficientes, in idgenus recidant opprobrium; ut nimirum humilient conscientias suas sub jugum humanae, quo constringuntur auctoritatis: veritas

catholica non potest in vilem hunc decidere mancipatum. Resistet semper potentiae, quae hanc ei adimere vellet libertatem; resistet ingeminando, quotiescunque opus fuerit: *Non possumus*, quae quidem exigua duo vocabula, ut e Summi nostri videmus Pontificis exemplo fortiora sunt regum omnium, ac dominantium potestate.

Tertium vitium, corrumpens omnem auctoritatem, quae in Christo Jesu haud suam habet radicem, est proprii commodi studium in exercitio potestatis. Auctoritas apud gentiles existebat causa personae potestatem exercentis; prout et hodiedum omnis auctoritas eundem abominabilem praesefert characterem, ubicunque regnum Jesu Chtisti non est constabilitum. Benignissimus Salvator noster magnam hoc sub obtutu, induxit reformationem, quae ingentem in ordinem socialem exerere debebat influxum. Videlicet mutavit, vel potius ad debitum suum locum reposuit tendentiam, et scopum auctoritatis. Hic scopus antehac reputabatur positus in homine qui praecipiebat; Christus Dominus eum transtulit in hominem, qui obediebat. Audiens quodam die, Salvator discipulos suos de praeeminentia inter se disputantes, *vocavit eos ad se*, teste Mattheo Evangelista, *et ait: Scitis, quia principes gentium dominantur eorum; et qui majores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos; sed quicunque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister; et quicunque voluerit inter vos primus esse, erit vester servus. Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis.* Haec verba exprompta per eum, qui est Dominus omnium, divinitus transformarunt auctoritatem, suam ei restituendo veram destinationem. Et in hoc consistit character essentialis, et signum distinctivum omnis christianae auctoritatis. Quemadmodum quippe obedientia, quae finit in homine, et non ascendit usque ad Deum, non est obedientia christiana; sic auctoritas cessat esse christiana, si non tendat ad prospe-

randos homines, sed philautiae superstruatur, aut qualemcunque alium sibi scopum praestituat. Christianus hic auctoritatis character maxime elucet in hyerarchia Ecclesiae, per Salvatorem instituta. Hyerarchia enim catholica non est aliud, quam ordo servitiorum per diversos exercendae auctoritatis gradus dispositus. Omnis sacerdos catholicus est servus, omnis Antistes est servus, et homo ille, quem Christus Jesus suum in terris esse voluit repraesentantem, cui plenitudinem contulit suae auctoritatis, est servus servorum; quae quidem compellatio, optime exprimit functionis Summi Pontificatus naturam, et sublimem ejus dignitatem.

Idea, quod honor imperandi hominibus sit obligatio serviendi fratribus, et gloria potentiae et dignitatis non sit aliud, quam abnegatio sui, et propriae personae in commoda aliorum immolatio: haec inquam admirabilis idea apud omnes etiam Imperatores, Reges et Principes, qui genuino christianae fidei lumine fuerunt illuminati, promtum reperit aditum. Imo, quo sincerius et perfectius animum suum fidei veritatibus aperuerunt principes: eo etiam fidelius hoc sensu exercendae auctoritati suae incubuerunt. Hujus adoptatio axiomatis peperit Carolum Magnum, sanctos Reges, Stephanum, Ladislaum, sanctum Henricum, Ludovicum Galliarum regem, sanctum Venceslaum, multosque alios christianos Monarchas, qui reapse populorum suorum prosperitati cuncta studia omnemque suam immolarunt contentionem. Nonnulli eorum heroica plane christianae perfectionis, humilisque suae personae in gratiam subditorum suorum immolationis, in se exhibuerunt paradigmata, nusquam ante visa. Omnium loco in memoriam revocasse suffecerit S. Elisabeth, quae regio licet thoro progenita, et ducali corona incincta, non est dedignata pauperibus pedes lavare, omnemque suam substantiam in miserorum succolamen convertere; donec tandem, abdicatis omnis temporalis dignitatis crepundiis, missoque cunctis hujus vitae deliciis nuncio, in fundatum suis sumptibus

xenodechium se recepisset, residuos vitae suae dies unice infirmorum et afflictorum servitiis consecrando. Quod invalescens hic apud christianas potentias, de auctoritatis fine ac destinatione conceptus, ingentia humano generi adtulerit lucra emolumentaque, nihil opus est argamentis demonstrare. Sufficit vel obiter mente recolere immensam illam differentiam, quae intercedit inter gentilia illa monstra, superius memorata, et hos, nunc admodum adtactos generis nostri benefactores, verosque patres nationum. Nec quisquam obvertat, fuisse, aut esse actu inter principes christianos, qui longe ab his exercendae auctoritatis aberrent principiis. Id enim non demonstrat aliud, quam quod sanctissima etiam per abusum violari possint, quodve idmodi Principes humanae fragilitati succumbentes, superbiae, arrogantiae, ac aliorum affectuum illiciis obtemperaverint potius, quam salutaribus christianae fidei praeceptis, et axiomatibus.

Hi sunt tres illi characteres, quibus Salvator benignissime dotavit imprimis Ecclesiam suam, tum vero omnem, quae dehinc in mundo, exercenda erat auctoritatem. Auctoritas idgenus est quoad originem suam divina, et eoipso promptam sibi vindicat obedientiam; est legitima, et quoad genium suum spiritualis, ei itaque debetur respectus et veneratio; est generoso juncta sacrificio, et propterea digna amore. Hoc pacto nacti sumus insignem scholam obedientiae, scholam respectus et venerationis, denique scholam amoris, ac junctim in tribus his scholis humanum genus amplissimum, quod unquam mundus vidit, habet institutum veri progressus socialis, veraeque suae prosperitatis. Videamus nunc

An haec per Jesum Christum stabilita auctoritas in suo permanserit vigore?

Quemadmodum introducta per Salvatorem morum puritas et sanctimonia, primis Ecclesiae saeculis admirabiliter lucens,

per reapertos corruptelae humanae fontes, superbiam quippe, concupiscentiam carnis, et concupiscentiam oculorum, miserandum in modum, temporis successu, foedata fuit: ita et veri conceptus auctoritatis, per eundem humani generis Restauratorem stabiliti, varias in hodiernum usquo diem sunt phases experti.

Indubium est, humanae naturae inesse, quocunque modo rem quis explicare contendat, renisum aliquem, utque ita dicam, protestationis cujusdam instinctum, adversus omnia, quae auctoritatem sapiunt, nostramque poscunt dependentiam. Nil itaque mirum, quod variae variis temporibus adversus stabilitas spituales aeque, ac civiles auctoritates exstiterint reclamationes, oppositionesque, jam magis jam minus violentae, jam apertae, jam variis speciosis tectae coloribus. Docet hoc quam cumulatissime cunctarum nationum historia, cujus non raro maxima pars in idgenus luctarum consistit recensione. Sed quamvis idmodi infesti adversus autoritatem nisus omni tempore exstiterint apud christianos etiam populos: tamen omnis, non plane rudis historiae, confiteri debet, recentioribus his temporibus nostris, inimicos hos insultus haud unquam ante visam assumpsisse proportionem, inque talem eos increvisse modum, ut omnino praesens humano generi portendant periculum.

Ictus maxime sensibilis, qui recentioribus temporibus, auctoritati inflictus fuit, est indubie sic dicta Reformatio saeculi decimi sexti. Medias inter Imperiorum ac Regnorum convulsiones, quae intervenerunt lapsu quindecim saeculorum, una tamen auctoritatum inconcussa perstitit, propria sua majestate defensa. Haec auctoritas est auctoritas Ecclesiae, repraesentata in supremo suo Pontifice, quem quindecim aerae nostrae saecula unanimiter Jesu Christi vicarium, et patrem christianitatis solebant adsalutare. Variae, successive obortae, haereses non cessarunt decisionibus, judiciisque hujus auctoritatis opponere satyrae subtilitates et sophismatum fallacias; negabant varia

fidei dogmata pontificiali defensa auctoritate; sed vero nulla earum ipsam ausa est negare Pontificiae Sedis auctoritatem. Hoc audaciae genus reservatum fuit Luthero, qui inaudita cum pertinacia se erexit contra summam hanc auctoritatem, saeculorum obedientia consecratam. Et in hoc consistit essentia Protestantismi: repurgatus suis accessoriis, Protestantismus, non est aliud, quam revolutio, oppositio adversus Ecclesiam, negatio consecratae in Summo Pontifice auctoritatis.

Haec revolutio adscivit aliam revolutionem, quae haud incongrue compellari potest philosophica. Independentia religiosa praeluxit idependentiae intellectuali. Lutherus negavit auctoritatem Jesu Christi in capite Ecclesiae; Volterus negavit Deum in fundatore fidei christianae. Prior ille per negationem auctoritatis Jesu Christi in Ecclesia, proclamavit in sacrae scripturae interpretatione independens singulorum arbitrium; alter per negationem auctoritatis divinae iu Christo Salvatore, proclamavit absolutam humanae rationis independentiam. Nulla auctoritas in negotio religionis, clamabat Lutherus; ecce Protestantismum; nulla auctoritas obtutu humanae rationis, protestabatur Volterus: ecce revolutionem philosophicam. His triumphis animatus revolutionaris spiritus ulterius processit. Se sentiens vinculis solutum in materia religionis, et obtutu philosophico; politicam quoque affectabat independentiam. Sed cum perspiceret, societatem humanam non posse omni carere gubernio: novum procudit systema politicum, secundum cujus placita, gubernans junctim cum subdito, leges condit, nec ulli amplius dantur subditi, sed cuncti gubernatores sunt et legislatores. Paradoxae hae ideae totam pervolarunt Europam, et revolutio politica erupit, immanesque procreavit strages. Nolim hoc loco indagare, num, et quid veri subsit his ideis, consutisque ex eis systematibus? id dubio caret, revolutionem politicam in sua essentia non esse aliud, quam fuerit revoluti religiosa et philosophica; nimirum oppositionem adversus legitimam auctorita-

tem. Demum nec his contentus daemon revolutionarius, superbe elevat frontem ac circumspicit, an non remanserit aliqua adhuc auctoritatis species, contra quam sua possit tela dirigere? Et videt omnino superesse unam, et quidem amplissimam, multorum saeculorum suffragio, legibus cunctarum nationum, ac bono, sanoque humani generis sensu consecratam: nimirum auctoritatem *proprietatis*. Quisque qui legitime vel unum possidet terrae palmum: jure dicere potest: hic angulus terrae meus est, de eo ego libere dispono. Quivis idgenus homo est auctoritas. Hanc videns malus revolutionis genius, facile perspexit, quousque hoc extremum ordinis socialis propugnaculum perstiterit: suum regnum haud posse praevalere. Primum itaque ambiguis, ac mellifluis verbis, ipsum proprietatis principium in crysin vocat sub praetextu regenerandae humanae societatis; tum vero, deposita larva, aperte ei bellum indicit. Novissimum hunc auctoritatis assultum Deus permisisse videtur, ut aperirentur mortalium oculi, et agnoscerent tandem satanici belli, a tribus inde saeculis auctoritati intentati, pericula ac malignitatem. Dum bellum contra Ecclesiam, contra Jesum Christum, et contra reges tantum dirigebatur: obcoecati possessores, in beata sua securitate cogitabant, imo aperte dicebant: Nostri nihil interest: defendat se Ecclesia, defendat se religio, defendat se regalis dignitas. Sed vero, postquam monstrum revolutionis pedem misit in proprietatem ipsorum, minas intentabat domibus, campis, mammonae ipsorum: obstupefacti, metuque concussi, inclamabant ei: Fige pedem, non nobis adimes focos nostros, tenuta nostra; mori potius quam tuam subire tyrannidem. Hoc tamen non obstante, eadem proprietati infesta conspiratio suos undique repetit insultus, et quidem tanta cum energia, ut metus sit, ne praevaleat, cum ingenti socialis ordinis convulsione.

Talis fuit tribus postremis aerae nostrae saeculis progressus suscitati adversus auctoritatem belli, quem quidem

nemo mirabitur, qui humanarum passionum indolem maturius expenderit.

Scimus perbene, quod cuncti hi pseudo-reformatores brutales suas aggressiones variis exculpationibus tegere connitantur: hoc eorum praedilectum fuit stratagema cunctis praecedentibus etiam saeculis. Revolutionis religiosae heroës dicunt: nos non volumus praecipitare Ecclesiam, sed a suis erroribus, et vitiis repurgare. Revolutionis philosophicae auctores et asseclae ingeminant: Non intendimus nos destruere fidem christianam, sed eam sanae rationis placitis conciliare. Revolutionis politicae fautores crepant apertis buccis: Non volumus nos subruere thronos, sed despotismum eliminare, et regiam auctoritatem ad competentes sibi terminos redigere. Denique revolutionis socialis incentores, assumptis socialismi, Communismi, aliisque idgenus speciosis titulis, asseverant: Nos non volumus destruere proprietatem, sed eam ad justitiae naturalis leges exigere. At vero sana ratio, quae vafris idmodi subterfugiis sibi illudi non sinit, respodet uno verbo: *Mentita est iniquitas sibi.* Diuturna, quippe, eaque irrefragabilis experientia docet, quod revolutio religiosa nil aliud voluerit, velitque, quam destruere Ecclesiam catholicam; revolutio philosophica unice in eversionem tendat fidei christianae; revolutionis politicae scopus sit, thronos, omnemque legitimam convellere auctoritatem, denique revolutio socialis abrogare velit proprietatem in conformitate impii Proudhoniani principii: *Proprietas est furtum.* Videlicet ea est rerum humanarum natura, ut ubi contra veritatem conspirant homines, eadem inique impetita veritas eos, citius tardius in manifestam secumipsis ponat contradictionem, apertique convincat mendacii: Revolutionarii sic dicti religiosi, furibunde aggressi sunt Pontificatum, sed vero seipsos constituunt pontifices. Revolutionarii philosophici impugnant revelationem divinam, sed sibi ipsis revelationis vendicant honorem. Revolutionarii politici in regiam insurgunt auctoritatem, simul

tamen sibi adtribuunt regibus, tam fastuoso et acerbo controversam potestatem. Similiter revolutionarii sic dicti sociales insurgunt adversus proprietatem, sed nil agunt diligentius, quam ut ipsosmet se reddant proprietarios rerum, quas alii justis nominibus, ac sudore vultus sui acquisiverunt. Potestne dari apertior contradictio?

Alter revolutionis praetextus, quo ea credulis, et imbecillae mentis hominibus palpum vult obtrudere, in eo consistit, quod non ambigat protestari: humanum genus, nonnisi suis adoptatis principiis, in perfectionis tramite posse proficere. Ecce, suppar priori mendacium! Qui veram rerum conditionem norit aestimare: non potest non perspicere ad evidentiam usque, cuncta haec auctoritati indicta bella, nequaquam progressum humani generis in culturae ac prosperitatis semita, sed tristem potius, ac periculosum in ea regressum produxisse, actuque portendere.

Non, Venerabiles fratres, et filii dilectissimi! reformatio saeculi 16., quam Protestantismum compellant, non fuit progressus in religione. Ex ea christiana respublica non incrementa, sed gravia cepit detrimenta; detrimenta intuitu salutarium fidei dogmatum; detrimenta intuitu moralis disciplinae; detrimenta intuitu cultus divini, et subsidiorum pietatem christianam succolantium. Quidquid in Protestantismo adhuc favet religioni, catholicum est, et non est partus Protestantismi; quidquid contra catholico repugnat principio, in laxationem tendit disciplinae, in morum dissolutionem, in fidei subversionem.

Pariter Rationalismus nequaquam fuit progressus in Philosophia, sed deplorabilis regressus. Succussit enim ille in multorum animis maxime salutares, et Ecclesiae auctoritate non minus, quam sano populorum consensu suffultas veritates, et hodiedum eradicare pergit humano generi summe utilia, atque adeo necessaria axiomata, quin iis aliud substituat, quam dubia et scepticismum. Totum, quod in infelici hoc Philosophiae genere verum est, nobiscum commune est, ac potissimum a nobis desumptum; totum quod a veritate est alienum, spurii sunt ipsius hujus infelicis Philosophiae foetus. Quod Philosophia habet boni, habet a nobis, et hoc est unice, quod eam a pleno adhucdum tutatur interitu, quae habet ex se ipso, eam magis magisque degradant, et amplius mergunt in praecipitium.

Non absimiliter revolutio politica, in sua adversus auctoritatem pugna, nequaquam fuit humanae societatis progressus. Nonnullae veritates, quae occasione idmodi pugnarum, explicatius fortasse in lucem prodiverunt, non erant aliud, quam evolutio praematura principiorum in campo christianae societatis jam antea germinantium. Hae veritates, sine violentis idgenus succussionibus, in mundo sociali suapte natura felicius fuissent suam consecuturae evolutionem; quemadmodum aliae res ex Dei et naturae consentiente operatione evolvuntur. Revolutio politica non fecit aliud, quam destruere, demoliri, exstirpare; ut adeo a tempore, quo ea suum orsa est imperium, mundus politicus similis sit aedificio, in suis fundamentis miserandum in modum succusso.

Idem tenet quoad revolutionem socialem. Communismus, Socialismus, caetera tristis hujus Philosophiae systemata nequaquam progressum, sed manifestum operantur regressum humanae societatis in via verae culurae. Et si ea aliquando reapse dominatum, quem tantopere ambiunt, assequerentur, humanum genus, ut jam superius memoratum fuit, ex civilitate in barbariem, ex barbarie i feritatem delaberetur. Supremus enim Communismi scopus est, sufferre omnem auctoritatem, ac hominem unice a se ipso reddere dependentem; at vero absoluta idgenus autocratia personalis, non amplius significat hominem socialem, sed ferum, omni, quam nonnisi socialis vita tribuere potest, cultura destitutum.

Gravia ista, trium saeculorum decursu, auctoritati inflicta vulnera, christiano orbi catastropha minantur, quam hucdum

nunquam est expertus. Sic est, fratres et filii dilectissimi! maximum humanitati periculum importat, hoc tempori nostro proprium, ac poene universale odium auctoritatis, tam atrox contra eam conspiratio, perniciosusque ejus contemptus. Nescio quis malus odii, et vilipensionis genius incenderit saeculum nostrum, adversus omne genus auctoritatis, cui nil magis cordi esse videtur, quam ut ex frontibus, etiam maxime Augustis, detergat, quam ipsis sublimis earum dignitas impressit majestatem. Idea revolutionis, ut ita dicam, incarnata mentibus humanis, per universum mundum integra systemata conspirationum procudit, et quidem in tenebris non minus, ac in plena luce. In mysteriosis namque specubus subterraneis fabricat formidabilia arma, feriendis corporibus apprime idonea; pleno autem die continuo exacuat mucrones, magis adhuc formidabiles: calumnias quippe omnis generis, contemptum ac vilipensionem. Gigantea haec contra auctoritatem tentamina, quibus similia vetustas non novit, prorsus apta sunt ad convellenda cuncta ordinis publici, et progressus socialis praesidia.

Sed his etiam acerbius est, quod, odium auctoritatis, e cordibus prorumpens hominum, qui machinis infernalibus, aliisque exitialibus armis instructi, suas inquirunt victimas, persaepe se jungat levitati multitudinis, quae istis perversorum hominum nisibus nedum se haud opponit, sed iis omnimode velificatur. Conversatio quippe mundana, temporibus nostris potissima pone sui parte, auctoritatum crisi se delectat, et vellicatione. Illic passim omnes promptos ad superioritatis actus censurandos reperies, paucos, qui eam defendere velint vel audeant. Imo vero, si quaedam auctoritas compromissa appareat ipso fortasse fideli sui muneris implemento: nulla compassionis sed potius acerbae cavillationis audies verba, ac non raro malevolum applausum. Et, si quis caeteris audacior, inconvenientibus, aut plane ignominiosis expressionibus impetat in alto gradu positam personam: eum passim communem videbis ferre approbationem: in-

sultus auctoritati factus, sermonibus garruli calumniatoris laudes, edito per eum libro, quantumvis secus miserabili, avidos procurabit emptores, idque eo certius, quo altior fuit impetita auctoritas, quove magis e trivio desumpta erant, quibus ea impetebatur, dicteria.

Fateor vobis, Venerabiles fratres, filiique dilectissimi, dum video has revolutionario spiritu animatas conversationes, in quibus auctoritas sub omni formarum specie, acutis impetitionum exponitur morsibus, et in quibus ipsi honesti secus viri, victi contagione saeculi, annuunt et arrident malitiosis verborum lusibus; dum video integros literatorum coetus, quotidie mendacia, calumnias, et invectivas in quasvis auctoritates congerentes; dum video homines, qui jam civili, jam politica, jam religiosa dignitate pollentem virum, libris, scriptisque suis impetunt modo cruda cum audacia, modo abjecta cum hypocrisi; dum video ex officinis preli quotidie in millenis exemplaribus spargi per mundum ephemerides, quae, cunctas auctoritates tanto majori cum impetu exagitant, et prostituunt, quanto eae altiori sunt loco positae; dum animadverto in multis theatris publicis, e studiose congestis in auctoritates sarcasmis et conviciis spectatoribus risus et exhilarationis propinari materiam, dramaturgos e turbidis fontibus antisociales haurire inspirationes; eos qui jure praecipiendi gaudent, omnibus defectibus et vitiis onustos, contra eos, qui obedire debent cunctis virtutibus exornatos in scenam mitti; hodie personam magistratum gerentem, cras sacerdotem velo quidem, sed cunctis facile penetrabili tectum, postcras monarcham spectatorum oculis sisti eo solum scopo, ut criminum cumulentur opprobriis, et sannis contemptuique exponantur; dum, inquam haec, hisque similia lego, vel video; dum undique observo, permanentem, universalem, et implacabilem quodammodo conspirationem cieri adversus omnem auctoritatem: horroris quadam specie succussus, me ipsum interrogo: quo tandem, has semitas, tam praecipitato passu terens

moderna societas perveniet? Nec aliud responsum mihi reddere possum, quam illuc eam perventuram, quo pervenerunt cunctae nationes, in quibus legitimae auctoritates succussae fuerunt, aut plane interciderunt: in anarchiae, et quas haec, suapte natura, in suo ducit comitatu, omnis generis calamitatum gurgitem.

De caetero superfluum esse existimo, observare, non hic agi de sanctionandis excessibus personarum publica munia obeuntium, aut adprobandis despotismi arbitrariis actibus, sed de exhibenda legitimis auctoritatibus obedientia, quamve ipsa publici commodi ratio necessario deposcit, veneratione; non agi de hominibus abjectae servituti subjiciendis, sed de salvando eorum, qui praesunt, honore et respectu; quo destituti, communibus societatis finibus non possunt subservire. Utinam haec serio expendant cuncti, quibus publica patriae salus cordi est; utinam serio recogitent, quod, sicut vilis subjectio sub usurpatae potestatis jugum, semper ignominiae cessit nationibus: ita gloria ipsarum, et prosperitas, nonnisi tunc emicuerit, ubi legitimis auctoritatibus in plena mensura suus constabat honor, suum obsequium et reverentia. O utinam exuant tandem homines, meliori saltem sensu praediti, barbarum illud praejudicium, quod progressus prosperitatis publicae in exemptione ab omni auctoritate sit repositus; utinam cuncti perspiciant, tam parum esse dedecorosum legitimae subesse potestati, ut potius cuique verae laudi cedat, auctoritati honorem cum amore, et respectum obedientiae junctum exhibuisse; tanto quidem magis, quod haec, secundum superius dicta, in ultima sua analysi, ad Deum, qua suum principium referantur. Videamus adhuc

Qualem se moderna societas exhibeat erga ipsum omnis legitimae auctoritatis fontem, Jesum Christum, ejusque sponsam Ecclesiam?

Cuncta illa arma, quibus secundum paemissa aetas nostra tam acriter impetit legitimas quasvis auctoritates, in Salvatorem quoque, Christum Jesum et Ecclesiam dirigi, vel inde facile licet collimare, quod, quemadmodum superius demonstratum est, idem benignissimus Salvator noster restaurator aut potius institutor sit omnis verae et legitimae auctoritatis, Ecclesia vero catholica depositaria potestatis ejusdem. Sed vero plura insuper temporibus nostris adsunt inimica elementa, Salvatori et sacro sanctae ejus Ecclesiae repugnantia.

Haec inter imprimis memorari debet publica illa indifferentia, quam intuitu christianae fidei, cunctae fere modernae constitutiones politicae, ac pleraque guberniorum systemata tam aperte demonstrant. Orbis christianus, saeculorum decursu, retrogradiendo usque ad Constantini tempora, omnia adtribuebat divino suo fundatori Christo Domino; ejus doctrina illuminabat intelligentias; ejus moralis vivebat in moribus; ejus charitas in institutionibus; ejus justitia in legibus populorum; ejus nomen erat nomen barbariem exutae humanitatis, ejus vita constituebat thema historiae, ejus cultus religionem, ejus vexillum palladium fuit nationum, ejus auctoritas obedientiam sibi vendicabat culti terrarum orbis. Verbo dici eotum poterat: Christus vita nostra. Et pleno jure affirmare poterat idem Salvator: *Ego autem constitutus sum rex.* Paulus vero Apostolus: *Sive mundus, sive vita, sive mors, sive praesentia, sive futura; omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.* Ast quid agit modernus mundus, quid faciunt, quid loquuntur homines etiam christianum nomen usurpantes, qui ad sortes nationum dirigendas sunt deputati? Agnoscimus, dicunt, religionem christianam humanae societati, dum haec nondum satis fuit evoluta, multa praestitisse bona. Sed nostra aetas superavit infantiam, impubescuit, imo virilem adtigit aetatem; propriis jam incedit pedibus, nec indiget alio ductore. Jesus Christus, et Ecclesia potest mysteriosum suum animarum regnum continuare, si adhucdum reperit, qui ejus se velint ducatui committere. Sed nos sequemur praescripta illuminatae, ac a

cunctis praejudiciis repurgatae nostrae rationis; sufficimus nobis ipsis, nec Christi aut Ecclesiae opus habemus tutoratu. Idgenus cogitandi, agendique ratio, sub obtutu religioso, sane non modo maximam involvit ingratitudinem, sed vere impia est, et sacrilega; quod homini, qui necdum exuit fidem in Deum, ejusque Filium unigenitum, tam clarum est ac manifestum, ut nullis debeat demonstrari argumentis. Sub obtutu autem sociali haec sentiendi ratio est summe periculosa, imprudens, et retrograda. Si homines, qui ita loquuntur, interrogarent experientiam, optimam illam vitae magistram; si serio expenderent, quis fuerit status, et moralis et socialis, gentilis mundi ante Christum? quae sit actu cunctarum orbis nationum, ad quas necdum pertigit divinum christianae fidei lumen, conditio? quales item, quamve horribiles subierint, actuque sufferendas habeant rerum convulsiones ipsi populi christiani, qui a recepta fide recesserunt; vel apud quos eadem fides multum attenuata est? si, inquam, haec attentius mente recolerent: non possent non perspicere, se in gravi omnino, periculosoque versari errore. Perspicerent, se, imprimis in condendis legibus, et regendis populis, omnino opus habere altiori lumine et auctoritate. Perspicerent, se nunquam sine Jesu Christo reperturum filum illud Ariadnae, cujus ductu e terribili isto contradictionum, falsarum opinionum atque errorum omnis generis labyrintho, in quem potissimum arroganti sua procacitate inciderunt, in apertum veritatis campum eluctaturos. Perspicerent: suam, qua superba cum praefidentia vehuntur navim, nisi Jesum Christum pro suo navarcho assumpserint, nunquam ad salutis portum perventuram, sed magis magisque furiosis humanarum passionum fluctibus impetitum iri, tandem inter syrtes rupesque misere perituram.

Sed non suffecit aetati nostrae, Jesum Christum ignorasse, et velut auctoritatem quamdam extraneam considerasse; gubernia insuper, et civiles jurisdictiones saeculi nostri, apertam

erga Salvatorem et Ecclesiam demostrant aemulationem, et, ut ita dicam zelotypiam. Hinc tantae illae in cunctis fere aevi nostri legislationibus, constitutionibus, et ordinationibus, adversus Ecclesiam initae praecautiones, variaeque libertatis ejus restrictiones, quandoque ipsis christianae fidei dogmatibus derogatoriae. Existimant quippe pleraeque saeculares auctoritates, Ecclesiam, si libere utatur juribus suis, praejudicia inferre civili potestati; eamque fovent persvasionem, quidquid religionis, et Ecclesiae decerpitur auctoritati et libertati, accrescere Gubernio, inque hujus cedere gloriam et utilitatem. Quaeritur jam, num haec suppositio veritati nitatur? num reapse auctoritas religionis et Ecclesiae antagona sit auctoritatis civilis? num revera gloria divini religionis regni opprobrio cedat civilis diadematis majestati? num, quemadmodum multi adstruunt, in populorum vertat emolumentum, quod Ecclesiae subtrahitur libertati? Non, Venerabiles fratres, filiique dilectissimi! haec non sunt vera; imo idgenus persvasio error est prosperitati populorum perquam nocivus, frequenter exitiosus. Religio, et Ecclesia, signanter sancta nostra Ecclesia catholica, nequaquam inimica, aut vel rivalis est ullius humanae auctoritatis. Est mater, et populi, ipsi adeo reges et principes, sunt ejus filii. Quomodo mater, tenero erga proles suas affectu animata, possit esse inimica, aut rivalis filiorum suorum? Ecclesia catholica nequidem erga potentias a vera fide alienas, ullam fovet antipathiam. Compatitur omnino sorti filiorum, qui suo se eripuerunt sinui materno, deflet ipsorum a via veritatis et salutis aberrationes; sed non cessat eos sincero suo prosequi affectu, orat pro ipsis, cunctisque eos prosequitur benevolentiae suae votis; nec potest odisse qualemcunque legitimam auctoritatem; probe persvasa, cunctas ad promovendum eundem, quem ipsa sibi praestitutum habet scopum, operandam quippe populorum prosperitatem divinitus esse destinatas.

Sed religio et Ecclesia catholica non tantum non est

aemula civilium auctoritatum, sed est earum sincerissima et amica, et protectrix. Quanto augetur magis in populis respectus auctoritatis religiosae: tanto plus splendoris accrescit coronis regum; et quidquid respectus, et obsequii reges tribuunt religioni: in ipsos cum usura revertitur, sublimando eorum potentiam et majestatem. Nunquam Theodosius major fuit, quam dum se dictatae per Ecclesiam subjecit poenitentiae; nec unquam Carolus Magnus seu potentior, seu in oculis populorum ampliori veneratione dignus apparuit, quam ubi imperialem coronam e manibus recepit Christi in terris Vicarii. Taliter Ecclesia, quam civiles auctoritates velut suam considerare solent aemulam, indirectum quidem, sed potentissimum in socialem populorum prosperitatem exercet influxum, quin id seu ipsi advertant populi, seu Ecclesia positivis suis studiis prosequatur.

Quod quidem tanto est certius, quanto minus negari potest, Religionem solam esse vitae moralis populorum et institutricem et conservatricem *Potestas humana,* dicebat unus maximorum recentioris aetatis Philosophorum, Maistre, *nonnisi tollere aut reprimere potest malum, quo suis solvatur vinculis bonum, hocque potestatem nanciscatur germinandi secundum suam naturam.* Paucula haec verba, sane plus continent gubernativae sapientiae, quam in millibus librorum, et centenis milibus sermonum politicorum, postremis saeculis editorum, et recitatorum possit reperiri. Sic est. Potestas humana ultro nequit procedere, et omnino se felicem debet reputare, si ei quoquo modo succedat compescere malum, ut germinare, vegetareque possit bonum. Ulterius progredi, et facere ut prosperet bonum, Religioni et Ecclesiae est reservatum. Haec sola, suae propriae relicta spontaneitati, germinare facit probitatem et honestatem in cordibus mortalium, et hoc pacto sicut innocentiam morum, sic et vitam generat socialem.

Ex hac essentiali duarum potentiarum differentia, nascritur inter utramque potestatem harmonia actionum, et contentionum. Ex una parte, Ecclesia, virtute spiritualis ac divinae suae auctoritatis, seminat vitam, et facit germinare bonum in medio nationum: ex altera parte, gubernium saeculare impedit, quominus per malum possit suffocari bonum, et hoc pacto assignat vitae hominum accommodum campum, in quo bona studia suam explicare possint activitatem. Una harum potestatum jacit fecundam sementem, producturam illos flores, qui pulchritudine sua, svavique odore mirabiliter exornant vitam socialem; altera impedit passiones humanas, quominus conculcare aut exstirpare possint salutarem hanc vegetationem. In hac operatione Ecclesia necessario suam habere debet independentiam, sed non deposcit systematicam a gubernio humano separationem; quae diffidentiae et hostilitatis foret species. Ecclesia distinguit inter auctoritatem suam et auctoritatem status civilis, sed non exigit formalem separationem; acceptat duarum auctoritatum unionem, sed non potest admittere earum confusionem; amat harmoniam virium, ad operandam populorum prosperitatem concurrentium, et deplorat earum antagonismum, qui infelicitatem generat mortalium. Si civilis potestas ei amicam offert manum, et sinceram protectionem: eam grato acceptat animo. Si oblata protectio despotismum sapit, aut fidei principiis minus sit congrua: eam deprecatur, et quae suapte natura sibi competit, postulat libertatem, quam fideles, et cumprimis ministri ejus, pro re nata, ad carceres et exilia usque tuentur, nec ipsum pro tam praeclara causa, vitae abhorrent sacrificium.

Si quis de harum assertionum dubitare posset veritate, aut plane negare vellet, Religionem et Ecclesiam catholicam amicas esse, imo firmissimum auctoritatum civilium succolamen et fulcrum: interroget eam, quae unius poene jam saeculi decursu, Europam miserandum in modum exagitat, nec vel momento requiescere sinit, revolutionem, et decretorium, actionibus potius quam verbis expressum habebit responsum, quod eum

de assertorum nostrorum veritati non amplius permittet ambigere. Quae enim alia assignari potest ratio, quod revolutio, sub quacunque illa specie erumpat, qualescunque induat larvas et colores, principaliter in Ecclesiam catholicam sua dirigat venenosa arma? quae, inquam alia hujus ejus implacabilis erga Ecclesiam Catholicam odii, horum et varietate multiplicium, et asperitate prorsus singularium ejus in eam assultuum potest sufficiens causa assignari, quam quod ea, suapte indole jurata omnis legitimae Auctoritatis hostis, probe perspiciat, Ecclesiam catholicam quemadmodum parte ab una sensualitatis postulat sacrificium, sic parte ab altera firmissimum esse caeterarum auctoritatum propugnaculum; neque se in infernali suo adversus has auctoritates suscitato bello, plenam reportare posse victoriam convincatur idem subversivus revolutionis spiritus, salva Ecclesiae catholicae auctoritate; perspiciat contra: succusso hoc tam potente munimento, se facile, optatoque cum successu, adversus alias potestates dimicaturam. Et siquidem perbene novit eadem, tantopere auctoritatibus infesta potentia, totius formidabilis illius propugnaculi, Ecclesiae quippe catholicae, fundamentum quiescere supra firmam petram, per divinum ejus fundatorem positam, sublimem quippe S. Petri cathedram: nihil relinquit intentati, quidquid in hujus eversionem conducere posse arbitratur. Non datur tam abjectum vafriciei genus, tam turpis hypocriscos species, tam crudele violentiae ac latrocinii scelus, quod non avide apprehendat, et ferrea cum pertinacia evibret, si ea in labefactandum, aut plane convellendum summum Ecclesiae Pontificatum quoquo modo sibi conductura videantur. Et his prae oculis habitis facile jam intelligitur, eccur revolutiones aetatis nostrae intactum relinquant Episcopatum Anglicanum, quamvis is ampliores possideat opes, quam insimul universus, in orbe, caeterarum christianarum confessionum clerus, et quamvis idem hodiedum miseros Hiberniae catholicos iniquissimis suis excoriet exactionibus. Intelligitur,

cur Revolutio nil in obversum obmoveat Synodi ecclesiae, sic dictae orthodoxae in Russico Imperio, quamvis violentissima ejus, iniquissimaque erga alias Confessiones, signanter Catholicos, studia toti sint terrarum orbi cognita. Intelligitur, cur non currant hi falsi, praeposterae culturae luce excaecati, revolutionis apostoli Berolinum, Copenhagam, Stokholmiam aliasque aliarum Confessionum capitales sedes, quamvis illic centuplo plura possent intolerantiae reperire documenta, quam Romae, aut Viennae? Sentit quippe, naturali quodam instinctu suo edocta, infelix, de qua agimus, revolutio, cuncta haec, a civilis potestatis arbitrio dependentia, ac paene enerva, nec vitalibus illis, quae e propriae authonomiae conscientia manat, stimulis animata Instituta, nunquam eam, qua Ecclesia catholica gaudet, exerere posse vim et activitatem. Sed intelligitur etiam, ex iis, quae memoravimus, cur in Imperio nostro, tanta cum acerbitate impetatur inita sedem inter Apostolicam, et Augustum Austriae Imperatorem ac Regem nostrum conventio; quamvis parte ab una clare demonstratum sit, hac conventione nil nisi libertatem, et jura Ecclesiae Catholicae esse restituta, quae ipsi divinitus competunt et saeculorum lapsu tribuebantur, ac nonnisi recentissimis temporibus tristem in modum erant labefactata; quamvis parte ab altera indubium sit, Protestantes apud nos plena Confessionum suarum gaudere libertate, imo majoribus, quam quae ipsis in Imperio Austriaco tribuuntur Catholicis; quamvis hi relate ad numerum quoque ingentem constituant majoritatem. Haec inquam, et similia nonnisi ex adducta superius ratione possunt explicari. Quod videlicet homines inimici pacis, et qui omnem subvertere vellent legitimam auctoritatem, quo sic suam exsatiare queant ambitionem et habendi cupidinem, in sola Ecclesia catholica illam agnoscant, et perhorrescant potentiam, quae, ceu sincera quarumvis caeterarum auctoritatum amica et tutrix, efficaciter obsistere et potest et vult tristi illi rerum convulsioni, in qua revolutionarius spiritus

suum reperit nutrimentum, suasque criminosas et detestandas spes habet repositas. Caeterum Ecclesia sancta catholica his nequaquam movetur, imo nec miratur hanc in se directam vim conjuratam malorum. Probe quippe meminit, divinum suum fundatorem, una summum humani generis benefactorem, parem, acerbiorem etiam sortem fuisse expertum. Probe meminit, eum has calamitates Ecclesiae, sangvine, suo redemptae, in haereditatem assignavisse. *Non est discipulus supra magistrum.* Et *si me persecuti sunt, et vos persequentur.* His non obstantibus, eadem immaculata Jesu Christi sponsa, firmo pede suo procedit tramite, benedicit persequentibus se, benedicit et non maledicit, gaudet cum gaudentibus, et flet cum flentibus, ipsis usque inimicis suis reddit bona pro malis, totaque virium suarum contentione pergit humanum genus, quoad perversorum patitur malitia, prosperare pro tempore et aeternitate.

Conclusio.

Hae de auctoritate adductae considerationes multo ampliorem assequerentur et vim persvadendi et claritatem, si singillativae ejus species, uti sunt paterna familiarum, sacerdotalis, et regia auctoritas, simili subjicerentur examini, ac pari cum idearum evolutione ob oculos sisterentur. Id ecquidem, quin magnopere excederem epistolae modum, facere hac vice non poteram; facturus fortasse alia opportunitate; si nimirum divinae placuerit benignitati labascentes mentis, corporisque mei vires aliquo adhuc tempore conservare.

Ex iis, quae praesente dissertatione complexi sumus, satis, credo, patescit: Auctoritatem absolute necessarium esse cujusvis rite ordinatae humanae societatis requisitum. Intelligitur quam imperfecti, imo erronei fuerint gentilis mundi, de auctoritatis natura, scopo, et functione conceptus? Intelligitur, Salvatorem nostrum, Jesum Christum genuinae, salutarisque pro

humano genere auctoritatis esse reformatorem, imo institutorem. Intelligitur, sic etiam per Salvatorem restabilitam ideam auctoritatis, succesive apud ipsos christianos populos, ingentes passam esse phases, actuque gravissimos ac plane perniciosos eatenus grassari errores; denique intelligitur, ipsum divinum auctoritatis institutorem, ejusque sponsam Ecclesiam catholicam, temporibus nostris, inauditae antehac impietatis ausibus oppugnari.

Multa exhinc derivari possent, pro institutione nostra, perquam utilia, corollaria. Ego tamen, ne nimium abutar patientia vestra, Fratres ac Filii dilectissimi, duo tantum, et haec quoque, per summos nonnisi, ut dici amat, apices memorabo.

Innui superius, desiderandum esse summopere, ut cuncti, quibus publica humanae societatis salus cordi est, expendentes gravissima, quae ex crescente in dies auctoritatis contemptu ac vilipensione, eidem impendent pericula, cuncta sua studia in justum legitimarum auctoritatum succolamen impendant quam solertissime. Quod si id jure postulari potest a bonis omnibus, cujuscunque status et conditionis hominibus: multo sane amplius desiderari potest a nobis, Altaris ministris, et Evangelii praeconibus: cum id, relate ad nos, non tantum sanae rationis sit postulatum; nec id tantum incumbens nobis, qua patriae civibus strictum officium deposcat; sed ipsa etiam exigat sacerdotalis vocatio nostra, ipsaque cujus praecones sumus, lex divina, quae districtis verbis erga omnem legitimam superioritatem, reverentiam imponit et obedientiam. Paterne itaque vos hortor, filii dilectissimi, ut nihil unquam, seu factis et actionibus, seu verbis, aut vel nutibus committatis, quod in auctoritatis cedere posset compromissionem aut vilipensionem; ut potius et propriae vitae exemplo, et instructionibus publicis aeque ac privatis, eo, omnium virium contentione enitamini, ut cunctis, legitime constitutis auctoritatibus suus constet vigor,

honos, et reverentia, promptumque, dum nihil divinis legibus adversi praecipiunt, obsequium.

Alterum, quod memorandum existimavi, paucis huc reducitur. Salvator noster Jesus Christus non modo do iis, quae ad consequendam aeternam salutem pertinent, nobis providit quam abundantissime, sed exemplis, sanctissimaque doctrina sua, temporaneae quoque felicitatis nostrae quoad ejus in praesenti naturae nostrae, originali peccato vitiatae, statu capaces sumus, fundamenta jecit sic, ut dici omnino possit, societatem humanam, si salutaria ejus praecepta adoptare, ac adamussim explere vellet, jam his in terris praegustum habituram aeternae illius, quam inquirimus beatitatis. Inter media, in hunc posteriorem finem conducentia, sane non postremum est, quod graves, humanoque generi vehementer noxios illos conceptus, quos gentilis mundus de auctoritate, primo hoc, summeque necessario humanae societatis requisito, foverat, essentialiter reformaverit; quemadmodum vel ex iis, quae hac dissertatione continentur, impatescit. Haec eatenus hausta convictio, animos nostros novis gratitudinis vinculis obstringit benignissimo Salvatori nostro, tenerrimaque in cordibus nostris excitare, erga eum, debet reciproci amoris sensa. Nos, Religionis ministri, haec grati animi et amoris sensa nullo certiore demonstrare possumus argumento, quam si cunctas sacerdotalis, pastoralisque muneris nostri partes ad omnem amussim, ferventi cum zelo, atque adeo cum perfecta nostri ipsius immolatione, exequi contendamus. Quae sint hae vocationis nostrae partes, et quomodo eas explere oporteat? hac vice non explicabo. Quae enim dicere possem. Vobis Venerabiles Fratres, et Filii dilectissimi! satis nota sunt, et per me quoque, iteratis jam vicibus, etiam enucleatius, Vobis fuerunt proposita. In genere tantum hortor vos, quove possum impensius oro, ut nil omnino, hac in parte, a Vobis desiderari patiamini; ut exuto quovis tepore, missis rerum caducarum curis, remotisque cunctis sensualitatis et phi-

lautiae illiciis, omnia desideria, omnem sollicitudinem, omnemque contentionem vestram in exactum munerum sacrosanctae vocationis vestrae implementum conferatis. Hortor, ac oro vos cum Apostolo gentium: *State succincti lumbos vestros in veritate, et induti loricam justitiae, et calceati pedes in praeparatione Evangelii pacis; in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela iniquissimi ignea exstingvere. Et galeam salutis assumite; et gladium spiritus, quod est verbum Dei. Per omnem orationem, et obsecrationem orantes omni tempore in spiritu: et in ipso vigilantes in omni instantia, et obsecratione pro omnibus sanctis.* Si unquam fuit temporis momentum, quod indefessum sacerdotii studium, summam sollicitudinem, et fatigari nesciam deposcebat solertiam: id certo est haec, tantopere a recto tramite deflectens, tantisque periculis infesta aetas nostra. Observavit nuper admodum vir quidam acris ingenii, totum, cui Europa insistit solum, hodie vulcanicis refertum esse substantiis, ut omnino in dies sit metuendum, ne e terrae visceribus undique erumpant rivi non quidem ignem, sed humanum sangvinem volventes, omnemque circum regionem populantes. Assertum hoc veritate niti, innumera perhibent documenta, ac ea etiam, quae his literis nostris complexi sumus, arguunt satis manifeste. Ab hac autem catastrophe non aliud praeservare poterit christianos populos, quam si fidei veritatibus, quibus incomprehensibili quadam animi levitate, paene nuncium misisse videntur, sincere aditum ad mentes cordaque sua reaperuerint, ac sanctissima ejus praecepta, ceu unicam tutam actionum suarum normam, rursum adoptaverint. Id autem fieri haud poterit, nisi nos Sacerdotes ipsis nos duces exhibuerimus, et requisitis armis, et infracto, prorsusque infatigabili animi robore instructos. Nos enim Redemptor, et instaurator humani generis, voluit esse lucem mundi, quae illuminet mentes mortalium, omnesque ex iis repellat errorum tenebras. Nos voluit esse salem terrae, quo ut ait S. Augustinus,

condiendi sunt quodammodo populi, ne temporalium bonorum vel copiam sectantes, vel inopiam metuentes, amittant aeterna, quae nec dari possunt ab hominibus, nec auferri. Haec est destinatio et sacrosancta vocatio nostra; hoc sacrificium, hoc intrepidum animi robur a nobis pleno jure deposcit lex divina, deposcit honor, existimatio, salus et propria, et animarum manibus nostris creditarum ovium, denique ipsius humanae societatis consistentia ac prosperitas.

Haec hactenus. Quod adtinet ad jejunii et abstinentiae legem, concedendasque in ea relaxationes; nec hac vice aliam, quam quae praecedentibus annis defixa fuerat, cynosuram censui praescribendam. Tantum vos itidem hortor, fratres, filiique dilectissimi, ut, quantum in vobis est, eo contendatis, ne vetustissima haec, et saluberrima sane Ecclesiae disciplina, ulteriora adhuc capiat detrimenta. Certe ista tam aperta temporibus nostris, tamque generalis ejus violatio unum est e manifestissimis documentis, quantopere fides et pietas christiana defecerit apud catholicos etiam populos. Quam pulchre in hanc rem, vereque disserit S. Leo Papa: *Quotidiano*, ait, *experimento probatur, potus sacietate aciem mentis obtundi, et ciborum nimietate vigorem cordis hebetari: ita ut delectatio edendi etiam corporum contraria sit saluti, nisi ratio temperantiae obsistat illecebrae, et quod futurum est oneri, subtrahat voluptati.* Item; *Est animae, quaedam sibi subditae negare substantiae, et interiori judicio ab inconvenientibus exteriora frenare: ut a corporeis cupiditatibus saepius libera, in aula mentis possit divinae vacare sapientiae: ubi omni strepitu terrenarum silente curarum, in meditationibus sanctis, et deliciis laetetur aeternis.* Itaque necesse est, ut insignem hujus disciplinae, ipsius divini Redemptoris nostri exemplo consecratae, utilitatem expendentes, eandem non modo propriae vitae paradigmate, sed et frequentioribus, durante praesertim sacro Qua-

dragesimae tempore eatenus instituendis dictionibus, populo commendetis, omnique meliori modo reddatis acceptabilem.

Caetera confido, Vos, fratres, filiique dilectissimi, eorum etiam, quae his literis meis complexus sum, in sacris dictionibus vestris, modo captui fidelium accommodo, debitum, solertemque usum facturos; quod et fiducialiter a vobis peto.

Gratia Domini nostri Jesu Christi, et claritas Dei, et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Amen. Datum Zagrabiae in residentia mea Archi-Episcopali, Dominica III. post Epiph. in 22. Januarii incidente, anno reparatae salutis 1865.

Georgius Cardinalis Archi-Episc.

*

V.

Literae pastorales,

INTUITU ENCYCLICAE, QUAM SUMMUS PONTIFEX PIUS PAPA IX. DIE 8. DECEMBRIS 1864 EDIDIT.

Venerabiles fratres, et filii dilectissimi!

Nemini, qui eventuum sui temporis haud rudis sit, ignotum esse potest, Sanctissimum Patrem, Summum Pontificem nostrum, Pium IX. die 8. Decembris, id vero est festo immaculatae conceptionis Beatae Mariae Virginis, solennes edidisse ad cunctos Antistites catholici orbis literas encyclicas, quibus crescentem in dies principiorum morumque corruptelam, apostolica libertate, pioque cum fervore describendo, varii generis praejudicia ac errores, temporaneae non minus, ac aternae humani generis prosperitati perniciosos, reprobat, proque plenitudine sibi, qua capiti Ecclesiae, summoque Christi in terris vicario, competentis auctoritatis, perstringit ac reprobat, sollicitudinem cunctorum sibi subordinatorum Praesulum paterne provocando, ut creditos suae fidei christianos populos eatenus attentos reddere, et a venefica eorum contagione, omni, quo licet, meliore modo, arcere, ac, qui iis jam infecti forent, resanare contendant. Quo vero hi eorum conatus feliciorem sortiantur effectum, commissos sibi gratiarum thesauros novitus reserando, indulgentiam plenariam cunctis Christi fidelibus benignissime concedit, qui lapsu anni currentis 1865. certo, per Antistites designando

rite explo[illegible]

Ad episcopalis mei muneris partes imprimis pe[illegible] stimabam, earundem encyclicarum tenores, in toto suo complexu, ad vestram, Venerabiles fratres, filiique dilectissimi, perferre notitiam; quod facio praesentibus, eas per extensum hisce vobiscum communicando.

VENERABILIBUS FRATRIBUS PATRIARCHIS, PRIMATIBUS, ARCHI-EPISCOPIS, ET EPISCOPIS UNIVERSIS GRATIAM ET COMMUNIONEM APOSTOLICAE SEDIS HABENTIBUS.

PIUS PP. IX.

Venerabiles fratres,

Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Quanta cura ac pastorali vigilantia Romani Pontifices Praedecessores Nostri exsequentes demandatum sibi ab ipso Christo Domino in persona Beatissimi Petri Apostolorum Principis officium, munusque pascendi agnos et oves nunquam intermiserint universum Dominicum gregem sedulo enutrire verbis fidei, ac salutari doctrina imbuere, eumque ab venenatis pascuis arcere, omnibus quidem ac Vobis praesertim compertum, exploratumque est, Venerabiles Fratres. Et sane iidem Decessores Nostri augustae catholicae religionis, veritatis ac iustitiae assertores et vindices, de animarum salute maxime solliciti nihil potius unquam habuere, quam sapientissimis suis Litteris, et Constitutionibus retegere et damnare omnes haereses et errores, qui Divinae Fidei nostrae, catholicae Ecclesiae doctrinae, morum honestati, ac sempiternae hominum saluti adversi, graves fre-

quenter excitarunt tempestates, et christianam civilemque rempublicam miserandum in modum funestarunt. Quocirca iidem Decessores Nostri Apostolica fortitudine continentur obstiterunt nefariis iniquorum hominum molitionibus, qui despumantes tamquam fluctus feri maris confusiones suas, ac libertatem promittentes, cum servi sint corruptionis, fallacibus suis opinionibus, et perniciosissimis scriptis catholicae religionis civilisque societatis fundamenta convellere, omnemque virtutem ac iustitiam de medio tollere, omniumque animos mentesque depravare, et incautos imperitamque praesertim iuventutem a recta morum disciplina avertere, eamque miserabiliter corrumpere, in erroris laqueos inducere, ac tandem ab Ecclesiae catholicae sinu avellere conati sunt.

Iam vero, uti Vobis, Venerabiles Fratres, apprime notum est, Nos vix dum arcano divinae providentiae consilio nullis certe Nostris meritis ad hanc Petri Cathedram evecti fuimus, cum videremus summo animi Nostri dolore horribilem sane procellam tot pravis opinionibus excitatam, et gravissima, ac nunquam satis lugenda damna, quae in christianum populum ex tot erroribus redundant, pro Apostolici Nostri Ministerii officio illustria Praedecessorum Nostrorum vestigia sectantes Nostram extulimus vocem, ac pluribus in vulgus editis encyclicis Epistolis et Allocutionibus in Consistorio habitis, aliisque Apostolicis Litteris praecipuos tristissimae nostrae aetatis errores damnavimus, eximiamque vestram episcopalem vigilantiam excitavimus, et universos catholicae Ecclesiae Nobis carissimos filios etiam atque etiam monuimus et exhortati sumus, ut tam dirae contagia pestis omnino horrerent et devitarent. Ac praesertim Nostra prima Encyclica Epistola die 9 novembris anno 1846 Vobis scripta, binisque Allocutionibus, quarum altera die 9 decembris anno 1854, altera vero 9 Iunii anno 1862 in Consistorio a Nobis habita fuit, monstrosa opinionum portenta damnavimus, quae hac potissimum aetate cum maximo animarum damno, et civilis ipsius societatis detrimento dominantur, quaeque non solum catholicae Ecclesiae, eiusque salutari doctrinae ac venerandis iuribus, verum etiam sempiternae naturali legi a Deo in omnium cordibus insculptae, rectaeque rationi maxime adversantur, et ex quibus alii prope omnes originem habent errores.

Etsi autem haud omiserimus potissimos hujusmodi errores saepe proscribere et reprobare, tamen catholicae Ecclesiae causa, animarumque salus Nobis divinitus commissa, atque ipsius humanae societatis bonum omnino postulant, ut iterum pastoralem vestram sollicitudinem excitemus ad alias pravas profligendas opiniones, quae ex eisdem erroribus, veluti ex fontibus erumpunt. Quae falsae ac perversae opiniones eo magis detestandae sunt, quod eo potissimum spectant, ut impediatur et amoveatur salutaris illa vis, quam catholica Ecclesia ex divini sui Auctoris institutione, et mandato libere exercere debet usque ad consummationem saeculi non minus erga singulos homines, quam erga nationes, populos summosque eorum Principes, usque de medio tollatur mutua illa inter Sacerdotium et Imperium consiliorum societas et concordia, quae rei cum sacrae tum civili fausta semper extitit ac salutatis.[1]) Etenim probe noscitis, Venerabiles Fratres, hoc tempore non paucos reperiri, qui civili consortio impium absurdumque *naturalismi*, uti vocant, principium applicantes audent docere, „optimam societatis publicae rationem, civilemque progressum omnino requirere, ut humana societas constituatur et gubernetur, nullo habito ad religionem respectu, ac si ea non existeret, vel saltem nullo facto veram inter falsasque religiones discrimine“. Atque contra sacrarum Litterarum, Ecclesiae, sanctorumque Patrum doctrinam, asserere non dubitant, „optimam esse conditionem societatis, in qua Imperio non agnoscitur officium coercendi sancitis poenis vio-

[1]) Gregor. XVI. Epist. encycl. *Mirari* 15. aug. 1832.

latores catholicae religionis, nisi quatenus pax publica postulet." Ex qua omnino falsa socialis regiminis idea haud timent erroneam illam fovere opinionem catholicae Ecclesiae, animarumque saluti maxime exitialem a rec. mem. Gregorio XVI Praedecessore Nostro *deliramentum* appellatam[1]) nimirum „libertatem conscientiae, et cultuum esse proprium cuiuscumque hominis ius, quod lege proclamari, et asseri debet in omni recte constituta societate, et ius civibus inesse ad omnimodam libertatem nulla vel ecclesiastica, vel civili auctoritate coarctandam, quo suos conceptus quoscuncque sive voce, sive typis sive alia ratione palam publiceque manifestare, ac declarare valeant". Dum vero id temere affirmant, haud cogitant et considerant, quod *libertatem perditionis*[2]) praedicant, et quod „si humanis persuasionibus semper disceptare sit liberum, nunquam deese poterunt, qui veritati audeant resultare, et de humanae sapientiae loquacitate confidere, cum hanc nocentissimam vanitatem quantum debeat fides et sapientia christiana vitare, ex ipsa Domini Nostri Jesu Christi institutione cognoscatur."[3])

Et quoniam ubi a civili societate fuit amota religio, ac repudiata divinae revelationis doctrina et auctoritas, vel ipsa germana iustitiae humanique iuris notio tenebris obscuratur et amittitur, atque in verae iustitiae legitimique iuris locum materialis substituitur vis, inde liquet cur nonnulli certissimis sanae rationis principiis penitus neglectis posthabitisque audeant conclamare, „voluntatem populi, publica quam dicunt, opinione, vel alia ratione, manifestatam constituere supremam legem ab omni divino humanoque iure solutam, et in ordine politico facto consumata, eo ipso quod consummata sunt, vim iuris habere". Verum ecquis non videt, planeque sentit, hominum societatem religionis ac verae iustiae vinculis solutam nullum aliud pro-

[1]) Eadem Encycl. *Mirari*.
[2]) S. Aug. Epist. 105 al. 166.
[3]) S. Leo Epist. 164 al. 133. §. 3 edit. Ball.

fecto propositum habere posse, nisi scopum comparandi, cumulandique opes, nullamque aliam in suis actionibus legem sequi, nisi indomitam animi cupiditatem inserviendi propriis voluptatibus et commodis? Eapropter huiusmodi homines acerbo sane odio insectantur Religiosas Familias, quamvis de re christiana, civili, ac literaria summopere meritas, et blaterant, easdem nullam habere legitimam existendi rationem, atque ita haereticorum commentis plaudunt. Nam, ut sapientissime rec. mem. Pius VI. Decessor Noster docebat „regularium abolitio laedit statum publicae professionis consiliorum evangelicorum, laedit vivendi rationem in Ecclesia commendatam tamquam Apostolicae doctrinae consentaneam, laedit ipsos insignes fundatores, quos super altaribus veneramur, qui nonnisi a Deo inspirati eas constituerunt societates"[1]) Atque etiam impie pronunciant, auferendam esse civibus et Ecclesiae facultatem „qua eleemosynas christianae caritatis causa palam erogare valeant", ac de medio tollendam legem „qua certis aliquibus diebus opera servilia propter Dei cultum prohibentur" fallacissime praetexentes, commemoratam facultatem et legem optimae publicae oeconomiae principiis obsistere. Neque contenti amovere religionem a publica societate, volunt religionem ipsam a privatis etiam arcere familiis. Etenim funestissimum *Communismi* et *Socialismi* docentes ac profitentes errorem asserunt „societatem domesticam seu familiam totam suae existentiae rationem a iure dumtaxat civili mutuari; proindeque ex lege tantum civili dimanare ac pendere iura omnia parentum in filios, cum primis vero ius institutionis, educationisque curandae". Quibus impiis opinionibus, machinationibusque in id praecipue intendunt fallacissimi isti homines, ut salutifera catholicae Ecclesiae doctrina ac vis a iuventutis institutione et educatione prorsus eliminetur, ac teneri flexibilesque iuvenum animi perniciosis quibusque er-

[1]) Epist. ad Card. De la Rochefoucault 10 martii 1791.

roribus, vitiisque misere inficiantur ac depraventur. Siquidem omnes, qui rem tum sacram, tum publicam perturbare, ac rectum societatis ordinem evertere, et iura omnia divina et humana delere sunt conati, omnia nefaria sua consilia, studia et operam in improvidam praesertim iuventutem decipiendam ac depravandam, ut supra innuimus, semper contulerunt, omnemque spem in ipsius iuventutis corruptela collocarunt. Quocirca nunquam cessant utrumque clerum, ex quo, veluti certissima historiae monumenta splendide testantur, tot magna in christianam, civilem, et litterariam rempublicam commoda redundarunt, quibuscumque infandis modis divexare, et edicere, ipsum Clerum „utpote vero, utilique scientiae et civilitatis progressui inimicum, ab omni iuventutis instituendae educandaeque cura et officio esse amovendum."

At vero alii instaurantes prava ac toties damnata novatorum commenta, insigni impudentia audent, Ecclesiae et huius Apostolicae Sedis supremam auctoritatem a Christo Domino ei tributam civilis auctoritatis abitrio subiicere, et omnia eiusdem Ecclesiae et Sedis iura denegare circa ea, quae ad exteriorem ordinem pertinent. Namque ipsos minime pudet affirmare „Ecclesiae leges non obligare in conscentia, nisi cum promulgantur a civili potestate; acta et decreta Romanorum Pontificum ad religionem et Ecclesiam spectantia indigere sanctione et approbatione, vel minimum assensu potestatis civilis; constitutiones Apostolicas,[1]) quibus damnantur clandestinae societates, sive in eis exigatur, sive non exigatur iuramentum de secreto servando, earumque asseclae et fautores anathemate multantur, nullam habere vim in illis orbis regionibus, ubi eiusmodi aggregationes tolerantur a civili gubernio; excommunicationem a Concilio Tridentino et Romanis Pontificibus latam in eos, qui iura possessionesque Ecclesiae invadunt, et usurpant, niti con-

[1]) Clemnt. XII. „*In eminenti.*" Benedict XIV. „*Providas Romanorum.*" Pii VII. „*Ecclesiam.*" Leonis XII. „*Quo graviora.*"

fusione ordinis spiritualis, ordinisque civilis ac politici ad mundanum duntaxat bonum prosequendnm; Ecclesiam nihil debere decernere, quod obstringere possit fidelium conscientias in ordine ad usum rerum temporalium; Ecclesiae ius non competere violatores legum suarum poenis temporalibus coercendi; conforme esse sacrae theologiae, iurisque publici principiis, bonorum proprietatem, quae ab Ecclesiis, a Familiis religiosis, aliisque locis piis possidentur, civili gubernio asserere, et vindicare." Neque erubescunt palam publiceque profiteri haereticorum effatum et principium, ex quo tot perversae oriuntur sententiae, atque errores. Dictitant enim „Ecclesiasticam potestatem non esse iure divino distinctam et independentem a potestate civili. neque eiusmodi distinctionem, et independentiam servari posse, quin ab Ecclesia invadantur et usurpentur essentialia iura postatis civilis." Atque silentio praeterire non possumus eorum audaciam, qui sanam non sustinentes doctrinam contendunt „illis Apostolicae Sedis iudiciis, quorum obiectum ad bonum generale Ecclesiae, eiusdemque iura, ac disciplinam spectare declaratur, dummodo fidei morumque dogmata non attingat, posse assensum et obedientiam detrectari absque peccato, absque ulla catholicae professionis iactura." Quod quidem quantopere adversetur catholico dogmati plenae potestatis Romano Pontifici ab ipso Christo Domino divinitus collatae universalem pascendi, regendi, et gubernandi Ecclesiam, nemo est qui non clare aperteque videat et intelligat.

In tanta igitur depravatarum opinionum perversitate, Nos Apostolici Nostri officii probe memores, ac de sanctissima nostra religione, de sana doctrina, et animarum salute Nobis divinitus commissa, ac de ipsius humanae societatis bono maxime solliciti, Apostolicam Nostram vocem iterum extollere existimavimus. Itaque omnes et singulas pravas opiniones ac doctrinas singillatim hisce Litteris commemoratas auctoritate Nostra Apostolica reprobamus, proscribimus atque damnamus, easque ab

omnibus catholicae Ecclesiae filiis, veluti reprobatas, proscriptas atque damnatas omnino haberi volumus et mandamus.

Ac praeter ea, optime scitis, Venerabiles Fratres, hisce temporibus omnis veritatis iustitiaeque osores, et acerrimos nostrae religionis hostes, per pestiferos libros, libellos, et ephemerides toto terrarum orbe dispersas populis illudentes, ac malitiose mentientes alias impias quasque disseminare doctrinas. Neque ignoratis hac etiam nostra aetate, nonnullos reperiri, qui satanae spiritu permoti, et incitati eo impietatis devenerunt, ut Dominatorem Dominum Nostrum Jesum Christum negare, eiusque Divinitatem scelerata procacitate oppugnare non paveant. Hic vero haud possumus, quin maximis meritisque laudibus Vos efferamus, Venerabiles Fratres, qui episcopalem vestram vocem contra tantam impietatem omni zelo attollere minime omisistis.

Itaque hisce Nostris Litteris Vos iterum amantissime alloquimur, qui in sollicitudinis Nostrae partem vocati summo Nobis inter maximas Nostras acerbitates solatio, laetitiae, et consolationi estis propter egregiam, qua praestatis religionem, pietatem, ac propter mirum illum amorem. fidem et observantiam, qua Nobis et huic Apostolicae Sedi concordissimis animis obstricti gravissimum episcopale vestrum ministerium strenue ac sedulo implere contenditis. Etenim ab eximio vestro pastorali zelo expectamus, ut asumentes gladium spiritus, quod est verbum Dei, et confortati in gratia Domini Nostri Iesu Christi velitis ingeminatis studiis quotidie magis prospicere, ut fideles curae vestrae concrediti „abstineant ab herbis noxiis, quas Iesus Christus non colit, quia non sunt plantatio Patris.“ [1]) Atque eisdem fidelibus inculcare nunquam desinite, omnem veram felicitatem in homines ex augusta nostra religione, eiusque doctrina et exercitio redundare, ac beatum esse populum, cuius

[1]) S. Ignatius M. ad Philadelph. 3.

Dominus Deus eius.[1]) Docete „catholicae Fidei fundamento regna subsistere,[2]) et nihil tam mortiferum, tam praeceps ad casum, tam expositum ad omnia pericula, si hoc solum nobis putantes posse sufficere, quod liberum abitrium, cum nasceremur, accepimus, ultra iam a Domino nihil quaeramus, id est, auctoris nostri obliti eius potentiam ut nos ostendamus liberos, abiuremus.“[3]) Atque etiam ne omittatis docere regiam potestatem non ad solum mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiae praesidium esse collatam,[4]) et nihil esse quod civitatum Principibus, et Regibus maiori fructui, gloriaeque esse possit, quam si, ut sapientissimus fortissimusque alter Praedecessor Noster S. Felix Zenoni Imperatori perscribebat, Ecclesiam catholicam . . . sinant uti legibus suis, nec libertati eius quemquam permittant obsistere . . . . . Certum est enim, hoc rebus suis esse salutare, ut, cum de causis Dei agatur, iuxta ipsius constitutum regiam voluntatem Sacerdotibus Christi studeant subdere, non praeferre.“[5])

Sed, si semper, Venerabiles Fratres, nunc potissimum in tantis Ecclesiae, civilisque societatis calamitatibus, in tanta adversariorum contra rem catholicam, et hanc Apostolicam Sedem conspiratione tantaque errorum congerie, necesse omnino est, ut adeamus cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam censequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Quocirca omnium fidelium pietatem excitare existimavimus, ut una Nobiscum Vobisque clementissimum luminum et misericordiarum Patrem ferventissimis humillimisque precibus sine intermissione orent, et obsecrent, et in plenitudine fidei semper confugiant ad Dominum Nostrum Iesum Christum, qui redemit

[1]) Psal. 143.
[2]) S. Caelest. epist. 22. ad Synod. Ephes. apud Const. p. 1200.
[3]) S. Innocent. I epist. 29 ad Episc. conc. Carthag. apud Const. p. 891.
[4]) S. Leo Epist. 156 al 125.
[5]) Pius VII. Epist. Encycl. *Diu satis* 15. Mai 1800.

nos Deo in sanguine suo, Eiusque dulcissimum Cor flagrantissimae erga nos caritatis victimam onixe iugiterque exorent, ut amoris sui vinculis omnia ad seipsum trahat, utque omnes homines sanctissimo suo amore inflammati secundum Cor Eius ambulent digne Deo per omnia placentes, in omni bono opere fructificantes. Cum autem sine dubio gratiores sint Deo hominum preces, si animis ab omni labe puris ad ipsum accedant idcirco caelestes Ecclesiae thesauros dispensationi Nostrae commissos Christifidelibus Apostolica liberalitate reserare censuimus, ut iidem fideles ad veram pietatem vehementius incensi, ac per Poenitentiae Sacramentum a peccatorum maculis expiati fidentius suas preces ad Deum effundant, eiusque misericordiam et gratiam consequantur.

Hisce igitur Litteris auctoritate Nostra Apostolica omnibus et singulis utriusque sexus catholici orbis fidelibus Plenariam Indulgentiam ad instar Iubilaei concedimus intra unius tantum mensis spatium usque ad totum futurum annum 1865 et non ultra, a Vobis, Venerabiles Fratres, aliisque legitimis locorum Ordinariis statuendum, eodem prorsus modo et forma, qua ab initio supremi nostri Pontificatus concessimus per Apostolicas Nostras Litteras in forma Brevis die 20 mensis Novembris anno 1864 datas, et ad universum episcopalem vestrum Ordinem missas, quarum initium „Arcano Divinae Providentiae consilio," et cum omnibus eisdem facultatibus, quae per ipsas Litteras a Nobis datae fuerunt. Volumus tamen, ut ea omnia serventur, quae in commemoratis Litteris praescripta sunt, et ea excipiantur, quae excepta esse declaravimus. Atque id concedimus, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque, etiam speciali et individua mentione, ac derogatione dignis. Ut autem omnis dubitatio et difficultas amoveatur, earumdem Litterarum exemplar ad Vos perferri jussimus.

„Rogemus, Venerabiles Fratres, de intimo corde et de tota mente misericordiam Dei, quia et ipse addidit dicens: mi-

sericordiam autem meam non dispergam ab eis. Petamus et accipiemus, et si accipiendi mora et tarditas fuerit, quoniam graviter offendimus, pulsemus, quia et pulsanti aperietur, si modo pulsent ostium preces, gemitus, et lacrimae nostrae, quibus insistere et immorari oportet, et si sit unanimis oratio .., unusquisque oret Deum non pro se tantum, sed pro omnibus fratribus sicut Dominus orare nos docuit."[1]) Quo vero facilius Deus Nostris, Vestrisque, et omnium fidelium precibus, votisque annuat, cum omni fiducia deprecatricem Deiparam Virginem Mariam, quae cunctas haereses interemit in universo mundo, quaeque omnium nostrum amantissima Mater, „tota suavis est ..... ac plena misericordiae, ... omnibus sese exorabilem, omnibus clementissimam praebet, omnium necessitates amplissimo quodam miseratur affectu,"[2]) atque utpote Regina adstans a dextris Unigeniti Filii Sui Domini Nostri Iesu Christi in vestitu deaurato circumamicta varierate nihil est, quod ab Eo impetrare non valeat. Suffragia quoque petamus Beatissimi Petri Apostolorum Principis, et Coapostoli eius Pauli, omniumque Sanctorum Caelitum, qui facti iam amici Dei pervenerunt ad caelestia regna, et coronati possident palmam, ac de sua immortalitate securi, de nostra sunt salute solliciti.

Denique caelestium omnium donorum copiam Vobis a Deo ex animo adprecantes, singularis Nostrae in Vos caritatis pignus Apostolicam Benedictionem ex intimo corde profectam Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, cunctisque Clericis, Laicisque fidelibus curae vestrae commissis peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum dei VIII Decembris anno 1864, decimo a Dogmatica Definitione Immalculatae Conceptionis Deiparae Virginis Mariae.

Pontificatus Nostri Anno Decimonono.

PIVS PP. IX.

---

[1]) S. Cypriam. Epist. 11.
[2]) S. Bernard. Serm. de duodecim praerogativis B. M. V. ex verbis Apocalyp.

SYLLABUS

COMPLECTENS PRAECIPUOS NOSTRAE AETATIS ERRORES QUI NOTANTUR IN ALLOCUTIONIBUS CONSISTORIALIBUS IN ENCYCLICIS ALIISQUE APOSTOLICIS LITTERIS SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII PAPAE IX.

§. 1.

Pantheismus, Naturalismus et Rationalismus absolutus.

I. Nullum supremum, sapientissimum, providentissimumque Numen divinum exsistit ab hac rerum universitate distinctum, et Deus idem est ac natura, et iccirco immutationibus obnoxius Deusque reapse fit in homine et mundo, atque omnia Deus sunt et ipsissimam Dei habent substantiam; ac una eademque res est Deus cum mundo, et proinde spiritus cum materia, necessitas cum libertate, verum cum falso, bonum cum malo, et iustum cum iniusto.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

II. Neganda est omnis Dei actio in homines et mundum.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

III. Humana ratio, nullo prorsus Dei respectu habito, unicus est veri et falsi, boni et mali arbiter, sibi ipsi est lex et naturalibus suis viribus ad hominum ac populorum bonum curandum sufficit.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

IV. Omnes religionis veritates ex nativa humanae rationis vi derivant; hinc ratio est princeps norma qua homo cognitionem omnium cuiuscumque generis veritatum assequi possit ac debeat.

Epist. Encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846.
Epist. Encycl. *Singulari quidem* 17 Martii 1856.
Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

V. Divina revelatio est imperfecta et iccirco subiecta continuo et indefinito progressui, qui humanae rationis progressioni respondeat.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846.
Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

VI. Christi fides humanae refragatur rationi; divinaque revelatio non solum nihil prodest, verum etiam nocet hominis perfectioni.

Eepist. encycl. *Quid pluribus* 9 novembris 1864.
Alloc. *Maxima puidem* 9 iunii 1862.

VII. Prophetiae et miracula in sacris Litteris exposita et narrata sunt poetarum commenta, et christianae fidei mysteria philosophicarum investigationum summa; et utriusque Testamenti libris mythica continentur inventa; ipseque Iesus Christus est mythica fictio.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846.
Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

§. II.

Rationalismus moderatus.

VIII. Quum ratio humana ipsi religioni aequiparetur, iccirco theologicae disciplinae perinde ac philosophicae tractandae sunt.

Alloc. *Singulari quadam perfusi* 9 decembris 1854.

IX. Omnia indiscriminatim dogmata religionis christianae sunt obiectum naturalis scientiae seu philosophiae; et humana ratio historice tantum exculta potest ex suis naturalibus viribus et principiis ad veram de omnibus etiam reconditioribus dogmatibus scientiam pervenire, modo haec dogmata ipsi rationi tamquam obiectum proposita fuerint.

Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas* 11 decembris 1862.
Epist. ad eundem *Tuas libenter* 21 decembris 1863.

X. Quum aliud sit philosophus, aliud philosophia, ille ius et officium habet se submittendi auctoritati, quam veram ipse probaverit; at philosophia neque potest, neque debet ulli sese submittere auctoritati.

Epist. ad Archiep. Frising. *Grivissimas* 11 decembris 1861.
Epist. ad eumdem *Tuas libenter* 21. decembris.

XI. Ecclesia non solum non debet in philosophiam unquam animadvertere, verum etiam debet ipsius philosophiae tolerare errores, eique relinquere, ut ipsa se corrigat.

Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas* 11 decembris 1862.

XII. Apostolicae Sedis, romanarumque Congregationum decreta liberum scientiae progressum impediunt.

Epist. ad Archiep. Frising, *Tuas libenter* 21 decembris 1861.

XIII. Methodus et principia, quibus antiqui Doctores scholastici Theologiam excoluerunt, temporum nostrorum necessitatibus scientiarumque progressui minime congruunt.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21 decembris 1863.

XIV. Philosophia tractanda est, nulla supernaturalis revelationis habita ratione.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21 decembris 1863.

NB. Cum rationalismi systemate cohaerent maximam partem errores Antonii Günther, qui damnantur in Epist. ad Card.

Archiep. Coloniensem *Eximiam tuam* 15 iunii 1847, et in Epist. ad Episc. Wratislaviensem *Dolore haud mediocri* 30 aprilis 1860.

§. III.

Indifferentismus Latitudinarismus.

XV. Liberum cuique homini est eam amplecti ac profiteri religionem, quam rationis lumine quis ductus veram putaverit.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 iunii 1851.
Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1865.

XVI. Homines in cuiusvis religionis cultu viam aeternae salutis reperire, aeternamque salutem assequi possunt.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846.
Alloc. *Ubi primum* 17 decembris 1847.
Epist. encycl. *Singulari quidem* 17 martii 1856.

XVII. Saltem bene sperandum est de aeterna illorum omnium salute, qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur.

Alloc. *Singulari quadam* 9 decembris 1854.
Epist. encycl. *Quanto conficiamur* 17 augusti 1863.

XVIII. Protestantismus non aliud est, quam diversa verae eiusdem christianae religionis forma, in qua aeque ac in Ecclesia catholica Deo placere datum est.

Epist. encycl. *Noscitis et Nobiscum* 8 decembris 1849.

§. IV.

Socialismus, Communismus, Societates clandestinae, Societates biblicae, Societates clericoliberales.

Eiusmodi pestes saepe gravissimisque verborum formulis reprobantur in Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 novemb. 1846; in Alloc. *Quibus quantisque* 20 april. 1849; in Epist. encycl.

Noscitis et Nobiscum 8 decembr. 1849; in Allocut. *Singulari quadam* 9 decemb. 1854; in Epist. encycl. *Quanto conficiamur moerore* 10 augusti 1863.

§. V.

Errores de Ecclesia eiusque iuribus.

XIX. Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus iuribus sibi a divino suo fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire, quae sint Ecclesiae iura ac limites, intra quos eadem iura exercere queat.

Alloc. *Singulari quadam* 9 decembris 1854.
Alloc. *Multis gravibusque* 17 decembris 1860.
Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1863.

XX. Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis gubernii venia et assensu.

Alloc. *Meminit unusquisque* 30 septembris 1861.

XXI. Ecclesia non habet potestatem dogmatice definiendi, religionem catholicae Ecclesiae esse unice veram religionem.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 iunii 1851.

XXII. Obligatio qua catholici magistri et scriptores omnino adstringuntur, coarctatur in iis tantum, quae ab infallibili Ecclesiae iudicio veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur.

Epist. ad Archiep. *Tuas libenter* 21 decembris 1863.

XXIII. Romani Pontifices et Concilia oecumenica a limitibus suae potestatis recesserunt, iura Principum usurparunt, atque etiam in rebus fidei et morum definiendis errarunt.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 iunii 1851.

XXIV. Ecclesia vis inferendae potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

XXV. Praeter potestatem episcopatui inhaerentem, alia est attributa temporalis potestas a civili imperio vel expresse vel tacite concessa, revocanda propterea, cum libuerit, a civili imperio.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

XXVI. Ecclesia non habet nativum ac legitimum ius acquirendi ac possidendi.

Alloc. *Nunquam fore* 15 decembris 1856.
Epist. encycl. *Incredibili* 17 septembris 1863.

XXVII. Sacri Ecclesiae ministri Romanusque Pontifex ab omni rerum temporalium cura ac dominio sunt omnino excludendi.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

XXVIII. Episcopis, sine Gubernii venia, fas non est vel ipsas apostolicas litteras promulgare.

Alloc. *Nunquam fore* 15 decembris 1856.

XXIX. Gratiae a Romano Pontifice concessae existimari debent tamquam irritae, nisi per Gubernium fuerint imploratae.

Alloc. *Nunquam fore* 15 decembris 1856.

XXX. Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitas a iure civili ortum habuit.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 iunii 1851.

XXXI. Ecclesiasticum forum pro temporalibus clericorum causis sive civilibus sive criminalibus omnino de medio tollendum est, etiam inconsulta et reclamante Apostolica Sede.

Alloc. *Acerbissimum* 27 decembris 1852.
Alloc. *Nunquam fore* 15 decembris 1856.

XXXII. Absque ulla naturalis iuris et aequitatis violatione potest abrogari personalis immunitas, qua clerici ab onere subeundae exercendaeque militiae eximuntur; hanc vero abrogationem postulat civilis progressus, maxime in societate ad formam liberioris regiminis constituta.

Epist. ad Episc. Montisregal. *Singularis Nobisque* 29 sept. 1864.

XXXIII. Non pertinet unice ad ecclesiasticam iurisdictionis potestatem proprio ac nativo iure dirigere theologicarum rerum doctrinam.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21 decembris 1863.

XXXIV. Doctrina comparantium Romanum Pontificem Principi libero et agenti in universa Ecclesia, doctrina est quae medio aevo praevaluit.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

XXXV. Nihil vetat, alicuius Concilii generalis sententia aut universorum populorum facto, summum Pontificatum ab romano Episcopo atque Urbe ad alium Episcopum aliamque civitatem transferri.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

XXXVI. Nationalis concilii definitio nullam aliam admittit disputationem, civilisque administratio rem ad hosce terminos exigere potest.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

XXXVII. Institui possunt nationales Ecclesiae ab auctoritate Romani Pontificis subductae planeque divisae.

Alloc. *Iamdudum cernimus* 18 martii 1861.
Alloc. *Multis gravibusque* 17 decembris 1860.

XXXVIII. Divisioni Ecclesiae in orientalem atque occidentalem nimia Romanorum Pontificum arbitria contulerunt.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

§. VI.

Errores de societate civili tum in se, tum in suis ad Ecclesiam relationibus spectata.

XXXIX. Reipublicae status, utpote omnium iurium origo et fons, iure quodam pollet nullis circumscripto limitibus.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

XL. Catholicae Ecclesiae doctrina humanae societatis bono et commodis adversatur.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846.
Alloc, *Quibus quantisque* 20 aprilis 1849.

XLI. Civili potestati vel ab infideli imperante exercitae competit potestas indirecta negativa in sacra; eidem proinde competit nedum ius quod vocant *exequatur*, sed etiam ius *appellationis*, quam nuncupant, *ab abusu*.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1861.

XLII. In conflictu legum utriusque potestatis, ius civile praevalet.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

LXIII. Laica potestas auctoritatem habet rescindendi, declarandi ac faciendi iritas solemnes conventiones (vulgo *Concordata*) super usu iurium ad ecclesiasticam immunitatem pertinentium cum Sede Apostolica initas, sine huius consensu, immo et ea reclamante.

Alloc. *In Consistoriali* 1 novembris 1850.
Alloc. *Multis gravibusque* 17 decembris 1860.

XLIV. Civilis auctoritas, potest se immiscere rebus quae ad religionem, mores, regimen spirituale pertinent. Hinc potest de instructionibus iudicare, quas Ecclesiae pastores ad conscientiarum normam pro suo munere edunt, quin etiam potest de

divinorum sacramentorum administratione et dispositionibus ad ea suscipienda necessariis decernere.

Alloc. *In Consistoriali* 1 novembris 1850.
Alloc. *Maxima quidem* 9 iulii 1862.

XLV. Totum scholarum publicarum regimen, in quibus iuventus christianae alicuius Reipublicae instituitur, episcopalibus dumtaxat seminariis aliqua ratione exceptis, potest ac debet attribui auctoritati civili, et ita quidem attribui, ut nullum alii cuicumque auctoritati recognoscatur ius immiscendi se in disciplina scholarum, in regimine studiorum, in graduum collatione, in delectu aut approbatione magistrorum.

Alloc. *In Consistoriali* 1 novembris 1850.
Alloc. *Quibus luctuosissimis* 5 septembris 1851.

XLVI. Immo in ipsis clericorum seminariis methodus studiorum adhibenda civili auctoritati subiicitur.

Alloc. *Numquam fore* 15 decembris 1856.

XLVII. Postulat optima civilis societatis ratio, ut populares scholae, quae patent omnibus cuiusque e populo classis pueris, ac publica universim Instituta, quae litteris severioribusque disciplinis tradendis et educationi iuventutis curandae sunt destinata, eximantur ab omni Ecclesiae auctoritate, moderatrice vi et ingerentia, plenoque civilis ac politicae auctoritatis arbitrio subiiciantur ad imperantium placita et ad communium aetatis opinionum amussim.

Epist. ad Archiep. Friburg. *Quum non sine* 14 iunii 1864.

XLVIII. Catholicis viris probari potest ea iuventutis instituendae ratio, quae sit a catholica fide et ab Ecclesiae potestate seiuncta, quaeque rerum dumtaxat naturalium scientiam ac terrenae socialis vitae fines tantummodo vel saltem primario spectet.

Epist. ad Archiep. Friburg. *Quum non sine* 14 iunii 1864.

IL. Civilis auctoritas potest impedire quominus sacrorum Antistites et fideles populi cum Romano Pontifice libere ac mutuo communicent.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

L. Laica auctoritas habet per se ius praesentandi episcopos et potest ab illis exigere, ut ineant dioecesium procurationem antequam ipsi canonicam a S. Sede institutionem et apostolicas litteras accipiant.

Alloc. *Nunquam fore* 15 decembris 1856.

LI. Immo laicum Gubernium habet ius deponendi ab exercitio pastoralis ministerii episcopos, neque tenetur obedire Romano Pontifici in iis quae episcopatuum et episcoporum respiciunt institutionem.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 iunii 1851.
Alloc. *Acerbissimum* 27 septembris 1852.

LII. Gubernium potest suo iure immutare aetatem ab Ecclesiae praescriptam pro religiosa tam mulierum quam virorum professione, omnibusque religiosis familiis indicere, ut neminem sine suo permissu ad solemnia vota nuncupanda admittant.

Alloc. *Nunquam fore* 15 decembris 1856.

LIII. Abrogandae sunt leges quae ad religiosarum familiarum statum tutandum, earumque iura et officia pertinent; immo potest civile gubernium iis omnibus auxilium praestare, qui a suscepto religiosae vitae instituto deficere ac solemnia vota frangere velint; pariterque potest, religiosas easdem familias perinde ac collegiatas Ecclesias et beneficia simplicia, etiam iuris patronatus, penitus extinguere, illorumque bona et reditus civilis potestatis administrationi et arbitrio subiicere et vindicare.

Alloc. *Acerbissimum* 27 septembris 1852.
Alloc. *Probe memineritis* 22 ianuari i 1855.
Alloc. *Cum saepe* 26 iulii 1855.

LIV. Reges et Principes non solum ab Ecclesiae iurisdictione eximuntur, verum etiam in quaestionibus iurisdictionis dirimendis superiores sunt Ecclesia.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 iunii 1851.

LV. Ecclesia a Statu, Statusque ab Ecclesia seiungendus est

Alloc. *Acerbissimum* 27 septembris 1852.

§. VII.

Errores de Ethica naturali et christiana.

LVI. Morum leges divina haud egent sanctione, minimeque opus est ut humanae leges ad naturae ius conformentur aut obligandi vim a Deo accipiant.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

LVII. Philosophicarum rerum morumque scientia, itemque civiles leges possunt et debent a divina et ecclesiastica auctoritate declinare.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

LVIII. Aliae vires non sunt agnoscendae nisi illae quae in materia positae sunt, et omnis morum disciplina honestasque collocari debet in cumulandis et augendis quovis modo divitiis ac in voluptatibus explendis.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.
Epist. encycl. *Quanto conficiamur* 17 augusti 1863.

LIX. Ius in materiali facto consistit, et omnia hominum officia sunt nomen inane, et omnia humana facta iuris vim habent.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1863.

LX. Auctoritas nihil aliud est nisi numeri et materialium virium summa.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

LXI. Fortunata facti iniustitia nullum iuris sanctitati detrimentum affert.

Alloc. *Iamdudum cernimus* 18 martii 1861.

LXII. Proclamandum est et observandum principium quod vocant de *non-intervento*.

Alloc. *Novos et ante* 28 septembris 1860.

LXIII. Legitimis principibus obedientiam detrectare, immo et rebellare licet.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846.
Alloc. *Quisque vestrum* 14 octobris 1847.
Epist. encycl. *Noscitis et Nobiscum* 8 decembris 1849.
Litt. Apost. *Cum catholica* 26 martii 1860.

LXIV. Tum cuiusque sanctissimi iuramenti violatio, tum quaelibet scelesta flagitiosaque actio sempiternae legi repugnans, non solum haud est improbanda, verum etiam omnino licita, summisque laudibus efferenda, quando id pro patriae amore agatur.

Alloc. *Quibus quantisque* 20 aprilis 1849.

§. VIII.

Errores de matrimonio christiano.

LXV. Nulla ratione ferri potest Christum evexisse matrimonium ad dignitatem sacramenti.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

LXVI. Matrimonii sacramentum non est nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile, ipsumque sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augustis 1851.

LXVII. Iure naturae matrimonii vinculum non est indis-

solubile, et in variis casibus divortium proprio dictum auctoritate civili sanciri potest.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.
Alloc. *Acerbissimum* 27 septembris 1852.

LXVIII. Ecclesia non habet potestam impedimenta matrimonium dirimentia inducendi, sed ea potestas civili auctoritati competit, a qua impedimenta existentia tollenda sunt.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 iunii 1851.

LXIX. Ecclesia sequioribus saeculis dirimentia impedimenta inducere coepit, non iure proprio, sed illo iure usa, quod a civili potestate mutuata erat.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

LXX. Tridentini canones qui anathematis censuram illis inferunt, qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiae negare audeant, vel non sunt dogmatici vel de hac mutuata potestate intelligendi sunt.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

LXXI. Tridentini forma sub infirmitatis poena non obligat, ubi lex civilis aliam formam praestituat, et velit hac nova forma interveniente matrimonium valere.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

LXXII. Bonifacius VIII. votum castitatis in ordinatione emissum nuptias nullas reddere primus asseruit.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

LXXIII. Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis matrimonium; falsumque est, aut contractum matrimonii inter christianos semper esse sacramentum, aut nullum esse contractum, si sacramentum excludatur.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.
Lettera di S. (S. PIO IX al Re di Sardegna, settembro 1852.

Alloc. *Acerbissimum* 27 septembris 1852.
Alloc. *Multis gravibusque* 17 decembris 1860.

LXXIV. Causae matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinent.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.
Alloc. *Acerbissimum* 27 septembris 1852.

NB. Huc facere possunt duo alii errores de clericorum coelibatu abolendo, et de statu matrimonii statui Virginitatis anteferendo. Confodiuntur, prior in epist. *Qui pluribus* 9 novembris 1846, posterior in litteris apost. *Multiplices inter* 10 iunii 1851.

§. IX.

Errores de civili Romani Pontificis principatu.

LXXV. De temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputant inter se christianae et catholicae Ecclesiae filii.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

LXXVI. Abrogatio civilis imperii, quo Apostolica Sedes potitur, ad Ecclesiae libertatem felicitatemque vel maxime conduceret.

Alloc. *Quibus quantisque* 20 1849.

NB. Praeter hos errores explicite notatos, alii complures implicite reprobantur, proposita et asserta doctrina, quam catholici omnes firmissimo retinere debeant, de civili Romani Pontificis principatu. Eiusmodi doctrina luculenter traditur in Alloc. *Quibus quantisque* 20 april. 1849; in Alloc. *Si semper antea* 20 maii 1850; in Litt. apost. *Cum catholica Ecclesia* 26 mart. 1860; in Alloc. *Novos* 28 sept. 1860; in Alloc. *Iamdudum* 18 mart. 1861; in Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

§. X.

Errores qui ad liberalismum hodiernum referuntur.

LXXVII. Aetate hac nostra non amplius expedit, religionem catholicam haberi tamquam unicam status religionem, coteris quibuscumque cultibus exclusis.

Alloc. *Nemo vestrum* 26 iulii 1855.

LXXIII. Hinc laudabiliter in quibusdam catholici nominis regionibus lege cautum est, ut hominibus illuc immigrantibus liceat publicum proprii cuiusque cultus exercitium habere.

Alloc. *Acerbissimum* 27 septembris 1852.

LXXIX. Enimvero falsum est, civilem cuiusque cultus libertatem, itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos ac indifferentismi pestem propagandam.

Alloc. *Nunquam fore* 15 decembris 1856.

LXXX. Romanus Pontifex potest ac debet cum progressu, cum liberalismo et cum recenti civilitate sese reconciliare et componere.

Alloc. *Iamdudum cernimus* 18 martii 1856.

Dum has vobiscum, venerabiles fratres, filiique dilectissimi, communico Apostolicas literas, ad meam cumprimis obligationem pertinere arbitror, ea vobis indicare, quae ad modum, conditionesque benigne concessae Indulgentiae plenariae referuntur. Idmodi conditiones, hac vice Sua Sanctitas per extensum non memorat; sed, provocando ad suas die 20 Novembris anno 1846 dimissas Encyclicas, cuncta illic stabilita, nunc quoque valida declarat, et pari, quo eotum praescripta fuerunt, modo observanda praecipit. Posteriores hae Encyclicae, vobiscum suo tempore pariter, in pleno suo contextu, fuerunt communicatae, penes comitivas meas die 11. Februarii 1848 ad vos dimissas pastorales literas. Et, siquidem utrumque hoc documentum collectioni selectiorum mearum encyclicarum, seu pastoralium literarum, signanter tomo 1. pag. 196 et sequent. insertum, ipsaque haec collectio singulis parochiis, fine ejus ad archivum parochiale repositionis submissa sit: nihil opus esse censebam, quae illic constituta sunt, praesentibus repetere, sed suffecturum judicabam, vos ad adcuratam eorum, quae eotum disposita fuerant, observantiam inviare, iisdem, quae tunc vobis, cunctisquae Confessoribus, mea quoque ex parte, concessae fuerunt, facultatibus, in praesentem etiam casum renovatis. Nec alia hac in parte obtinebit differentia, quam quod loco illic stabilitarum trium hebdomadum, nunc per totius Archi-Dioeceseos ambitum, in conformitate novissimae Encyclicae Pontificiae, constituatur unius mensis spatium, et quidem incipiendo a Dominica in Albis, in 23. Aprilis a. cur. usque Dominicam V post Pasch. in 21. mensis Maii ejusdem curr. anni incidentibus. Itaque et Sacrum cantatum cum expositione Sanctissimi, et accommodo sacro sermone, eadem Dominica in Albis, cum praemisso *Veni sancte spiritus,* alterum vero solenne Sacrum, cum intonatione hymni *Te Deum laudamus* memorata Domin. V post Pasch. asservanda erunt. Nec opus esse arbitror multis verbis vestrum excitare zelum, vosque hortari districtius ad omnimodam contentionem eo exerendam, ut apostolicae hujus gratiae dispensatio fideli populo quo licet abundantiores progeneret fructus spirituales. Quippe nemini magis, quam vobis perspectum esse potest, hos fructus, post divinam gratiam, potissimum ab eo, quem sacri Curiones in excitandis, manuducendisque suis fidelibus exerunt, zelo, vivae fidei, intimaeque pietati juncto, dependere.

Quod adtinet ad reliquos Encyclicarum tenores: culpabilis

parte ex mea audaciae foret, iis vel addere vel demere velle quidpiam, aut in qualemcunque eorum me immittere commentationem. Ubi enim ipsum venerandum Ecclesiae caput, in rebus ad fidem et mores pertinentibus, locutum est: ibi cunctis caeteris Antistitibus non minus, ac fidelibus, gloria tantum obsequii relicta est. Cum tamen, ut praevideri in tanta mundi corruptela potuit, haec quoque, sapientissima Summi Pontificis nostri effata, innumeris sciolorum, maleque Religioni affectorum hominum impetantur contradictionibus et crisibus: temperare mihi non potui quin eas saltem memorarem, inque genuina sua luce vobis dilecti filii, exhiberem objectationes, quibus potissimum impetitur haec sedis apostolicae manifestatio, quaeve speciem aliquam veri praeseferre videntur, ac incautos facile in errorem possent inducere. Quae quidem, opinione mea, ad ea, quae sequuntur, possunt reduci.

I.

Declarationes pontificiae, de quibus agimus, ita passim sistuntur per inimicos Religioni homines, quasi vero earum tenoribus cunctae damnarentur regiminis formae, quae non suut imperia, vel regna legitime coronatis, ac se divina gratiâ constitutos agnoscentibus Principibus parentia. Quam id a veritate sit alienum? quivis se potest convincere, qui vel obiter annales praeteritorum, ac nostrorum quoque temporum inspexerit. Fides catholica tantae amplitudinis gaudet sinu, ut in eo, cunctae orbis nationes quamcunque illae nactae sint politici regiminis formam, in pace et prosperitate possint degere; id quod non tantum catholicitatis, hoc est universalitatis ejus documentum, sed et unum ex indubiis varitatis, ac divinitatis ejus argumentis constituit. Ecclesia catholica, nunquam pronunciavit omnium populorum regiminis formam debere esse monarchicam; nunquam reprobavit alias formas, nec ipsam democraticam, in

quantum ea citra laesionem alieni juris ac justitiae fuit locum sortita. Sedes apostolica penes Helveticam, aliasque respublicas, saeculorum lapsu habuit, actuque suos habet Nuncios, ac earum vicissim recipit legationes. Non pridem legimus in pagellis publicis, Summum Pontificem nostrum, Statuum Americae meridionalis ad se missam legationem paterna prorsus cum benignitate excepisse. Scimus, quanta cum affectus teneritudine receperit novum Mexices Imperatorem, quamvis probe sciret, eum non virtute legitimae, ab antenatis in se devolutae successionis, sed populari voto determinatum, solium imperiale capessivisse. Scimus etiam eundem Sanctissimum Patrem nostrum contra modernum Gallorum Imperatorem nullas obmovisse difficultates, nullas reclamationes; quamvis probe perspectum teneret, eum in sequelam deprompti per populum universalis suffragii, thronum conscendisse. Nec pensi duxit Sua Sanctitas palam etiam, iteratisque vicibus declarare, eidem taliter electo Imperatori, ceu actuali, sic permittente divina providentia, Principi, omnimodam a subditis venerationem et obedientiam esse exhibendam. Imo neonatum ejusdem Imperatoris filium e sacro baptismatis fonte levare haud dubitavit, eique ac toti ipsius familiae, plus vice simplici, paternam suam impertitus est benedictionem. Quod sane tanto aestimari debet amplius quanto certius constat omnibus, deplorandae prorsus, in qua idem piissimus Pontifex noster actu constituitur sortis, principalem causam ad eundem, Galliarum Imperii habenas actu manibus tenentem virum esse refendam. Nam, ut missa faciam caetera, nemo, nisi in media luce caecutiens, vel minus probandis animi affectibus agitatus, negare potest, unice ab ejus dependisse nutu, Status Pontificii conservare integritatem. Quemadmodum enim uno verbo impedire poterat, ne patrimonium S. Petri, proprie sic dictum, in praedam cederet sacrilegorum praedonum: sic eodem potenti suo verbo, absque ulla etiam aeris, aut sangvinis profusione, efficere poterat, ut integer ille, sat caeteroquin exiguus Status,

porro sub sedis apostolicae sceptro remaneat. Quod quidem universus et desiderabat, et sperabat, catholicus orbis; tanto avidius, quanto sciebat certius, eundem modernum Gallorum Imperatorem, totamque paene ejus familiam, Apostolicae sedi, vel ob exercitam olim, difficillimis temporibus, in se hospitalitatem, haud exigua sane obstrictam esse gratitudine; tanto item magis, quanto convenientius fuit, ut Princeps catholicus, throno ejus nationis insidens, quae inde a saeculis se *christianissimam*, suumque Principem *primogenitum Ecclesiae Catholicae Filium* amabat compellare, summum ejusdem Ecclesiae caput in possessorio modici istius terreni principatus conservet, quem illud a decem, et amplius saeculis optimo tenebat jure; sine quo nec suam tueri dignitatem, nec sublimis sui muneris indigentiis potest debite respondere; pro cujus demum conservatione et pientissimi olim Galliarum principes, et ipsa generosissima Gallorum natio in haec usque recentissima tempora, innumera tulerunt sacrificia.

Jam ex his satis impatescit, summum Pontificem nostrum procul ab ea, injuriose sibi supposita intentione abfuisse, convellendi cujuscunque legitime constituti Status fundamenta. Alio prorsus respiciebat ejus, populares electiones, publicique ordinis convulsiones perstringentis, tendentia. Nullo quippe negotio et absque peculiari etiam ingenii acumine, perspicere quisque potest, eum prae oculis habuisse novissimas istas miserae Italiae phases. Novimus, tot illic legitimos thronos eversos, tot rapinas, ac iniquitates omnis generis commissas, ipsum etiam, vetustate, ac sublimi sua destinatione venerabilem pontificium Statum sacrilego ausu invasum, longeque maximam ejus partem a suo, in quem eum divina providentia destinaverat, scopo avulsum fuissse, ne communi quidem cultarum gentium jure servato: utpote ipsa belli indictione intermissa. Ad tegendam, tantae iniquitatis turpitudinem, opus fuit larvis et coloribus, qui maxime accommode desumi posse censebantur e procusis nunc

admodum nationalitatis, unitatis regni, et universalis suffragii principiis. Itaque ad praefixum scopum quoquo modo impetrandum omnis generis artes, irreflexe vel ad communis leges honestatis, adhibebantur. Et testimoniis fidedignissimis, certissimisque documentis demonstratum est, praetensam illam votorum popularium majoritatem, speciosis promissionibus, pecunia, variisque fallaciis, ac potissimum armatae vis praepotentia fuisse conflatam. Haec sane talia sunt, ut nemini, qui non ipso naturalis justitiae, humanitatisque sensu exutus est, probari possint. Quod quidem vel inde satis dignoscitur, quod inter ipsos a fide catholica alienos, secus eruditione et characteris firmitate praeditos viros, reperti sint nec pauci, qui hujusmodi enormitates publice reprobare haud quidquam pensi duxerint. Et haec sunt, hisque similia, quae encyclicarum suarum tenoribus reprobat Summus Pontifex noster. Quis vero ausit affirmare, eum jure destitutum fuisse, adversus tantam, vixque antehac auditam audaciam, abjectae vafriciei junctam, apostolicam suam vocem elevandi. Imo vero id ad strictam ejus obligationem pertinuisse agnoscamus oportet: utpote cui, qua Christi in terris vicario, supremoque moralis ordinis vindici, maxime et convenit, et incumbit reprimere iniquitatem, praesertim si ea in perniciem innocentiae suum erigat caput, atque adeo virtutis audeat larvam usurpare.

II.

Sunt nec pauci, qui Summum Pontificem nostrum inimicae arguunt tendentiae erga quasvis politicas constitutiones, quarum virtute populus legum ferendarum potestatem cum regnante principe partitur; hocque inimicum ejus studium ex ea, de qua nobis sermo est, Encyclica patescere. Ac exinde repetendum esse asserunt, quod, non obstantibus iteratis etiam exterarum potentiarum consiliis, absoluti regiminis insistat placitis,

nec ad ullam condescendere velit formam liberaliorem. Sed vero insimulationem idgenus nemini iniquius, quam Pio IX. impingi, quivis vel exinde cognoscere potest, quod ad publicam constet notorietatem, eundem Sanctissimum Patrem, in primis statim pontificatus sui auspiciis, omnino concessisse populis suis Constitutionem, et quidem tam liberalem, ut omnis paene eapropter mundus in admirationem raperetur, imo multi hunc ipsum tam insignis liberalitatis actum, eidem vehementer succenserent. Qui tam generosi capax est consilii, absque summa injuria, constitutionalis regiminis hostis dici non potest. Sed vero constat, quales ei pro hac magnanimitate redditae fuerint gratiae? Constat, quod post varii generis strepitosas, sed simulatas aggratulationes, et hypocriticas demonstrationes, ferox, ac tam impia in tantae benignitatis Principem excitata fuerit rebellio, ut is cum manifesto vitae suae periculo, salutem in exteris oris quaerere debuerit. Sed et facile quivis perspicere potest eundem piissimum Pontificem, proprio periculo, acerbissima sane experientia doctum, ad nova hac in parte tentamina, nonnisi summa cum circumspectione posse condescendere; ne positis iisdem causis, eosdem rursum, ac fortasse acerbiores adhuc provocet effectus. Id vero tanto magis, quanto amplior docet experientia, constitutionalia corpora, quae tam abundanter parit aetas nostra, paene nunquam intra justos se continere limites, sed citius tardius ad postulationes, aususque prorumpere, dignitati ac juribus regnantis Principis non minus, ac publico ordini, patriaeque prosperitati periculosos, usque adeo exitiales. Sed et quivis aequus rerum aestimator perspicere debet, aliam esse Romani Pontificis, aliam caeterorum regnantium Principum conditionem. Quippe cum ille Summus una sit Pontifex, totiusque caput Christianitatis; haec sublimis et peculiaris ejus dignitas, singulares, etiam relate ad politicam rerum coordinationem, deposcit respectus. Caeterum, quantum sub regimine Pii IX. ad constabiliendam subditorum pontificii Status sobriam libertatem,

quantum item ad promovendam popularem institutionem, ad scientiarum et artium liberalium, infinitorum paene, quas Roma numerat humanitatis et beneficentiae institutorum, ipsius etiam commercii efflorescentiam praestitum sit? sciunt omnes, qui vel aliquam rerum Romanarum sibi procurarunt notitiam; sciunt etiam ea, quae de despotismo, illiberalitate, duritia aliisque pontificii regiminis naevis, tanta cum animositate per mundum sparguntur, ad calumnias passim, et irreconciliabile erga Sedem pontificiam, ipsamque religionem odium esse referenda; quod quidem odium vix unquam exarsit ferventius, quam his tristibus temporibus nostris. Eos, qui de his per me allatis, dubitarent, aut de eorum veritate se uberius convincere vellent, relego ad revolvendas pastorales meas literas, anno 1857 die 16. Junii editas, et collectioni selectiorum encyclicarum mearum pag. 187. et sequent. insertas alterius item ordinis anno 1860 die 19. Februarii scriptas, ac in eadem collectione pag. 92. et sequent., conspicuas.

III.

Magna cum acerbitate, fere dixissem, furore, objectatur Encyclicae de qua nobis sermo vertitur, eam repugnare culturae, in quam humanum genus saeculorum lapsu est eluctatum; favere tenebris medii aevi, nec ullam ejus, quem mundus recentioribus temporibus in scientiis fecit progressus habere rationem, eoque tendere, ut priscorum saeculorum revehatur ruditas et ignorantia. Quam haec itidem a vero aliena sint, quam injuriosa? facile quisque perspicere potest, qui verae culturae conceptu haud distituitur, et cujus mentem nondum praejudicatae opiniones tristem in modum obfuscaverunt. Dici sane cum veritate potest, nullum dari in orbe terrarum institutum, quod ad scientiarum, et artium incrementa, ad veram, et ingeniorum et cordium, culturam plus contulisset, quam contulerit, actuque

conferat Sedes pontificia. Agnoverunt hoc plures etiam a fide catholica alieni, sed veritati repugnare haud volentes, et acrioris ingenii viri. Nequaquam genuina, sed praepostera illa, ac periculosa cultura impugnatur encyclicis his pontificiis, quae de humanae rationis infallibilitate falsam sibi adscivit opinionem, et propriae sufficientiae, ac excellentiae suae persvasione tumida, omne rejicit divinae revelationis lumen, tamque miserandum in modum caecutit, ut ipsum abneget rerum omnium creatorem, nec amplius seu animae humanae agnoscat immortalitatem, seu discrimen virtutem inter et vitium admittat, sicque humanam societatem in imum moralis corruptionis, omnisque infelicitatis genus praecipitet. Cujus quidem rei triste, sed luculentum praebet documentum adnexus Encyclicae errorum, mundum hodiernum devastantium, cathalogus. Humani generis docet historia, veram culturam tam arcto vinculo esse fidei christianae, cujus genuinum complexum, in integritate sua, sola possidet Ecclesia catholica, copulatam, ut illa nec reperiri possit ubi haec deficit, nec deficere, ubi haec in pleno suo consistit vigore. Scimus, quid respectu veri nominis culturae moralis potissimum fuerit gentilis mundus, antequam beneficum christianae fidei astrum ei illuxisset; scimus quid sint hodiedum cunctae orbis nationes, ad quas necdum divinum hoc pertigit lumen; scimus denique, in quem miserandum decidant statum ipsae christianae nationes, si eas quoquo infelici casu, hoc lumine privari contingat. Omnium loco memorasse suffecerit nationem Gallicam. Certo nemo unus, humano adhuc sensu praeditus, absque horrore audire, vel legere potest illas barbariei immanitates, in quas, tam altae secus culturae populus, incidit, postquam sublata ex altaribus Christi crucifixi effigie, humanae rationis idolum, in forma prostitutae mulieris, ei exhibitum fuit adorandum.

Contra haec, et contra principia, quae suapte natura tales operantur enormitates, apostolicam suam vocem elevat Caput

Ecclesiae, vindicandoque adversus ea incomparabilem veritatis christianae thesaurum, verae culturae rationibus magis profecto inservit, quam inserviant cuncta philosophorum systemata, quae absque divinae revelationis lumine, humani generis volunt culturam promovere. Similia sunt systemata ista domibus, quas pueri e pictis construere solent chartis, et quae ad levem corruunt afflatum; similia sunt tempestuosis illis procellis, quae reparente sole conticescunt, relictis tristibus furoris sui vestigiis.

IV.

Impugnatur, nec minus acriter quam copiose, haec pontificia Encyclica, ceu iniqua respectu caeterarum a fide catholica alienarum confessionum. Existimant, aut saltem aliis persvadere conantur bene multi, pontificio hoc documento improbari omnem aliter sentientibus exhibendam non tantum charitatem, sed et justitiam ac aequitatem. Imo non desunt, qui affirment, Encyclicas has literas spiritu esse animatas persecutionis, erga omnes, qui non profitentur fidem catholicam. Sed qui tam injuriose de sede pontificia, benignoque Pii IX corde cogitant vel loquuntur, non videntur unquam ejus erga aliarum confessionum homines agendi modum expendisse. Si enim attendissent, quod sedes potificia Principum quoque, a fide catholica alienorum, legatos recipiat, nec momentanee tantum, sed pro constanti Romae residere admittat; si attendissent, millia Protestantium, aliorumque diversis confessionibus addictorum hominum, in urbe Romana, humanissime ac liberalissime tractari; si reflexissent ad eos, quos pontificia sedes, relate ad mixta matrimonia recentissimis cumprimis temporibus, concessit favores; si recordati fuissent, ab antiquo non modicum Romae degere Hebraeorum numerum, nec minus liberaliter tractari, quam tractentur in quocunque alio, etiam Protestantico, Statu; si

inquam ad haec, hisque similia reflexissent, qui inhumanitatis ac intolerantiae erga alienas a fide catholica confessiones, tam acerbe arguunt pontificiam sedem, ipsumque ei actu insidentem summum Pontificem: hanc ei injuriam vix ausi fuissent inurere. Sedes certe pontificia, principalis haec juris et justitiae propugnatrix, nulli vult inferre injuriam, et cuique quod suum est, et tribuere ipsa solet, et per alios tribui desiderat, nec unquam cessat profiteri: omnes omnino homines esse proximos nostros, ejusdem coelestis Patris filios, eodem pretioso Christi Salvatoris sanguine redemptos, adeoque et pari, qua nos ipsos complectimur, charitate diligendos. Nec in obversum horum assertorum quidquam ponderant, quae de singularibus casibus, exempli causa de pueris Mortara et Chon allegantur: siquidem ex genuina idgenus casuum evolutione, manifeste impatescat, illic quoque, penes omnem principiorum repugnantiam non modo nihil duritiei aut inhumanitatis fuisse commissum, sed genuinae potius dilectionis data fuisse specimina.

Sed vero aliud est, non laedere jura eorum, qui non ejusdem nobiscum sunt religionis; aliud cunctis eorum, justos non raro limites excedentibus, praetensionibus velificari. Hae quippe praetensiones, in Austriaco etiam Imperio, eum jam assecutae sunt gradum, ut non pauci se offendi putent, si Principes nostri, se catholicos profiteantur, aut Gubernium eadem utatur compellatione. Qui expenderit Augustam dynastiam nostram inde a saeculis non modo usam semper fuisse hac compellatione, sed in ea non exiguam reposuisse gloriam; utpote quae ab antiquissimis temporibus una e firmissimis fuerit Religionis et Ecclesiae catholicae fulcris et praesidiis; qui parte ab altera reflexerit, Reges ac Reginas Magnae Britanniae, Regesque Borussiae non modo non ambigere se Protestanticas profiteri potentias, sed voce in altum vibrata, idipsum omni occasione, nec absque aliqua ambitionis specie, proclamare; qui expenderit idem facere alios quoque Principes a fide catholica alienos signanter Russiae Imperatorem, qui non potest satis frequenter repetere, se ecclesiae, quae Principis Apostolorum, ejusque successorum auctoritati se tristem in modum subtraxerat, caput esse et defensorem; qui inquam ad haec animum reflexerit: non poterit non indignitatem idgenus praetensionis agnoscere, et ei, invito etiam, incident illi gratitudinis obliti filii familias, qui, ut frequenter, temporibus praesertim nostris, evenit, genitores suos omnimode e possessorii communione excludere contendunt, in quam tamen unice e paterna benevolentia fuerunt adsciti. Sed et fundamentum, cui haec, similesque superstruuntur praetensiones, tam debile est, et a vero alienum, ut illo non modo non imminuatur, sed magis etiam adaugeatur arrogantiae audaciaeque reatus, qui idmodi postulatis subesse passim dignoscitur. Dicunt quippe, Statum publicum nullam debere profiteri religionem: utpote qui cunctis subditis eandem teneatur justitiam administrare, eandem impertiri protectionem, nec proinde ipsummet certam aliquam adoptare posse religionem. Sed vero hoc, e recentioris subversivae philosophiae scaturiginibus desumptum principium et impium esse, et humanae societati perquam periculosum, quisque facile perspiciet, qui necdum revelatae fidei, ipsiusque sanae rationis placitis renuntiavit. Vel potestne quisquam prudenter inficiari, axioma tale recta ducere ad indifferentismum religiosum, qui uno tantum passu distat ab atheismo, perniciosissima illa humani generis peste ex obtutu quoque temporaneae nationum prosperitatis? Indifferentismus nequaquam est justi bonique regiminis requisitum, sed infelix vitium; quod initio e falso tolerantiae conceptu suam traxisse videtur originem. Certo regimen potest firma catholica fide esse animatum, seque tale profiteri, quin propterea erga alienos ab eadem fide subditos suos injustum sit, durum aut iniquum; quemadmodum privatus quisque homo toto corde potest esse catholicae fidei deditus, quin propterea aliter sentientibus quae aequa justaque sunt, aut vel quae ad charitatis

leges referuntur, pergat denegare. Imo quemadmodum privatus quisque eo certius, teneriorique cum conscientia erga omnes exequetur ea, quae juris sunt, aequitatis ac fraternae charitatis, quo magis est spiritu Catholicae fidei penetratus: sic et Status publicus eo erga cunctos suos subditos erit justior, mitior, et humanitatis charitatisque plenior, quo sincerius eidem catholicae fidei, quae ipsa lex est justitiae et charitatis, placitis adhaeserit.

Eandem subit considerationem principium aequalitatis, quod relate ad confessiones religiosas, ab aliquo tempore, cumprimis in Monarchia austriaca, tam acriter propugnatur, tantisque contentionibus inducendum postulatur. Quippe vera libertas, ipsa adeo aequalitas hominum variis confessionibus addictorum, nequaquam in eo consistit, ut cuncti irreflexe ad sua, quae profitentur principia, iisdem subjiciantur politicarum legum sanctionibus; sed in eo est reposita, ut leges et politicae dispositiones tales sint, quas quivis observare possit salvis suae religionis placitis, suaeque confessionis principiis. Quodsi id non obtineat: identitas legum nequaquam libertatem et aequalitatem, sed non raro veri nominis oppressionem, atque adeo tyrannidem parit. Res in exemplo fit clarior. Urgent continuo Protestantes, ut lege civili sanciatur, progenitas e mixtis matrimoniis proles, irreflexe ad religionem conjugum, sic esse educandas, ut masculae quidem patris, femellae vero matris confessionem sequi teneantur, vel, ut aliis praeplacet, cunctae proles in patris religione educentur. Cynosura idmodi Protestantibus quidem nullum inferret praejudicium, sed vero catholicis conjugibus summe foret injuriosa. Protestantes etenim tuta conscientia, et citra laesionem principiorum confessionis suae, possunt consentire in prolium suarum educationem extus ecclesiam propriam; sed vero Catholici id facere non possunt, quin aperte laedant religionis suae placita et praecepta, gravemque incurrant conscientiae reatum; a quo nec sacramentaliter absolvi

possunt, nisi sincera facti sui tangantur poenitentia, promittantque, se commissum errorem suum, omni, quo licuerit licito modo, reparare adnisuros. Idem tenet quoad nonnulla alia etiam puncta, in quibus lex eandem pro Catholicis et aliarum confessionum asseclis decernens regulam, relate ad posteriores manifestam saperet injuriam, ac reapse oppressiva foret ac tyrannica, similis illi lecto, quem Procrustes, praedo aliquando in Attica, construi jussit, eandem corporum longitudinem inter infelices, qui in manus ejus inciderant, homines, inducturus. Absolutam quippe leges idmodi iis imponerent necessitatem vel civiles ordines, vel suae religionis praescripta violandi.

Re ex hoc, quod solum genuinum esse potest, visus puncto considerata, nemo adversus Encyclicae tenores, in quantum ea correlationes diversarum religionum ac confessionum attingit, quidquam fundate potest excipere.

V.

Multum porro et acriter impetitur eadem Encyclica, quod inimica sit preli libertati, quae tamen summe neccessarium sit progressus humanae societatis in scientiis, omnique genere culturae subsidium. Qui rem penitius inspexerit, convincatur est necesse, hoc quoque accusationis genus nulli solido niti fundamento. Quippe nemo prudens negaverit, nec sedes pontificia unquam inficiata est, preli institutum inter praecipua promovendae humanae culturae media esse referendum, itaque magnopere optandum esse, ut necessaria ei constet libertas, nec ultra justos limites constringatur. Sed nec diffiteri quisquam sobriae mentis homo, beneque humanitati cupiens, poterit, hanc libertatem non posse esse omnibus solutam repagulis. Ipsa etenim rei natura, et magis adhuc tristris, nostri praesertim aevi, experientia docet quam manifestissime, irrestrictam, vel laxam nimis preli libertatem passim in licentiam degenerare, religioni,

morum probitati. ipsique publico ordini et patriae saluti, perquam perniciosam. Caecus omnino sit, qui non videat, quanta ex irrefrenata idgenus preli licentia in humanam societatem dimanaverint, actuque dimanent pericula et detrimenta; ut adeo nemo sapiens ambigere queat, quemadmodum prelum, si inter justos se contineat limites, pro vero humani generis reputari debere beneficio: sic, si ruptis vinculis, in licentiam degeneret, veram ejusdem pestem evadere. Nec juvat allegare innatum humanae naturae jus, libere suas ideas, seu verbo seu scripto expromendi. Sicut enim praetextu naturalis hujus juris, nemini licitum esse potest, cuicunque privatae personae, publice in platea insultare, scommatibus eam aut calumniis afficere: sic, in Statu bene ordinato, cultaque hominum societate, indulgeri non potest, ut quiscunque religioni, sub legum tutelam receptae, ac praesertim ei, quam maxima civium pars profitetur, impune insultare, regnantem Principem publicosque magistratus contumeliis ac falsis accusationibus audeat afficere, vel talia in vulgus spargere seu principia, seu dicteria, quae animos civium laedere, corda inquietudine replere, pacemque, ac tranquillitatem seu privatarum familiarum, seu publicam queant interturbare. Concedere talia idem foret, ac ipsum humanae societatis scopum intervertere. Verissima haec esse inter permulta alia, non modico nobis deservit argumento, ipsum moderni Gallorum Imperatoris exemplum, qui, quamcunque liberalia secus profiteatur principia, et quantumvis ipsum suum thronum universali civium debeat suffragio; tamen, non obstantibus etiam tot, tantisque in contrarium reclamationibus, prelum hodiedum tergiversatur solvere iis, quibus illud constrinxerat indaginibus: probe perspiciens, si id fecerit, cuncta iterum in Gallia susque deque permistum iri, et se vix aliquot mensibus aut hebdomadibus, suo, quem usurpat, throno insessurum. Quae itaque prelo inimicari videntur in Encyclica: non ad ejus sobriam libertatem, sed ad eam, quam undique fere affectat, irrefraenem licentiam sunt referenda.

VI.

Non minori cum animositate impetitur Encyclica obtutu eorum, quae relate ad institutionem juventutis, scholasque publicas, in ea memorantur. Incunctanter asseveratur per ejus impugnatores, quod sedes pontificia scholas penitus ecclesiasticae jurisdictioni subjicere, et regimen civile omni in eas influxu privare velit. Sed nec huic accusationis puncto plus inest veritatis, quam insit caeteris superius memoratis insimulationibus. Imo tam parum subsistit haec accusatio, ut potius in ipsos recidat accusatores. Nunquam etenim incidit Ecclesiae catholicae, Guberniun civile a directione scholarum publicarum, justoque in eas influxu velle arcere, sed ipsi potius, qui talia Sedi pontificiae, et Ecclesiae improperant, reapse volunt, idque omnibus, directis et indirectis viis ac artibus, Ecclesiam hoc naturali suo, saecularique usu roborato jure exuere. Ecclesia non aliud sustinebat, actuque sustinere pergit, quam sibi quoque in educatione et institutione juventutis, competere partes, et quidem virtute concessae sibi ab ipso divino Ecclesiae Fundatore auctoritatis, impositique muneris. Illud enim Salvatoris ad omnes Apostolos, eorumque successores directum mandatum: Docete omnes gentes servare omnia quaecunque mandavi vobis, non minus succrescentem juventutum respicit, quam aetatem adultiorem. Imo potiori etiam ad illam refertur jure: siquidem nemo negare possit, tenellis juventae cordibus injectam fidei et morum probitatis sementem, profundiores passim agere radices, salubrioresque subin operari fructus, quam si adultorum, non raro induratis jam, variisque zizaniorum generibus infectis pectoribus admoveantur. Et id quidem a fidei christianae incunabulis principii instar obtinuit, nec cuiquam, longo saeculorum

lapsu incidit, hanc juris praerogativam Ecclesiae controvertere. Haec gloria reservata est novis istis aevi nostri reformatoribus, qui eo magis humani generis prosperitati consultum iri existimant, quo longius Sacerdotium ab influxu in mentes cordaque studio literarum operam navantis juventutis successerit removere. Nec inconsequens dici potest haec eorum cogitandi ratio. Cum enim maximam humani generis prosperitatem in omnis, ipsius adeo divinae auctoritatis depressione, inque libertate, omnibus repagulis soluta, reponant; cum multi ipsorum e publici ordinis perturbatione non modica in se sperent promanatura emolumenta; cum parte ab altera probe norint, his suis finibus succolandis nulla se aptiora reperire posse instrumenta, quam sit juventus omnis religionis sensu expers, ac in iis, quae falso libertatis compellatione solent insigniri, principiis educata: nil antiquioris habent, nil majoribus animis agunt iidem Religionis et Ecclesiae inimici, quam ut Ecclesia, omni in publicas scholas influxu exuatur. Liceat mihi in hujus meae assertionis confirmationem, inter multa, quae possem allegare, unum, idque non minimi sane ponderis adducere argumentum. Legi recentissime in certis bonae notae pagellis publicis: Liberos murarios in Belgio, firmum concepisse proprositum, cum adjutorio Regiminis, ab ipsorum, ut scitur, arbitrio hoc momento dependentis, in vicem adhucdum illic subsistentis liberae scholarum frequentationis, obligatoriam inducere sic, ut cuncti regnicolae sub reclusionis, aut mulctae pecuniariae castigatione, proles suas ad publicas, Regiminis impendiis sustentatas, scholas mittere obligentur. Inter statuta sic constituendarum scholarum, puncto 2. disertis verbis exprimitur: dehinc omnem religiosam institutionem cessare debere. Quales ex idgenus scholis emersuri sint juvenes, qualesque ex iis subinde exstituri patriae cives? nullus prudens vel momento potest ambigere. Ego plane mihi persvadeo, et Vos quoque, fratres et filii dilectissimi, haud dubito ejusdem mecum esse opiniones: produturos, paucissimis

fortasse exceptis, juvenes nonnullis quidem rerum notitiis superficialiter tinctos, sed vero fide christiana destitutos, mente praejudicatis opinionibus turgida, corde omni teneriori affectu vacuo, moribus si non penitus adhuc corruptis, admodum saltem dubiis, et procul a vitae puritate et innocentia remotis. An vero ex his elementis patriae, atque adeo humanitati lucra speranda sint, vel potius praesentissima pericula metuenda? cuivis, qui adhuc serenos habet mentis oculos, judicio decernendum tute relinquimus. Loquuntur sic dicti liberales nostri de intolerabili sacerdotii jugo, e cujus servitute scholas emancipandas esse, ipse cultior, et illuminatior saeculi genius suo jure deposcat. Sed vero Salvator dixit: *Jugum meum suave est, et onus meum leve.* Qui suave hoc jugum fidei et pietatis christianae excutiunt, proprio corruptae naturae humanae pondere incidunt sub jugum superbiae, concupiscentiae carnis, omnisque generis corruptelae. Tenet hoc relate ad omnes hominum classes. Sed tenet potissimum relate ad teneram aetatem, quam ipse juvenilis sanguinis ardor, imaginationis vivacitas, passionum, nulla adhuc experientia mitigatarum, aestus, in aberrationes corpori non minus, ac animae perniciosas abripiunt, nisi beneficentissimis religionis frenis contineantur. Consideremus studiosam aevi nostri juventutem, et plenam de assertorum veritate aquiremus convictionem. Quae enim est principalis tristis ejus, in quam juventutem nostram passim incidisse videmus, dissolutionis causa, nisi quod in familiis, ipsisque scholis, etiam catholicis, religiosa ejus institutio et educatio in dies extenuetur magis? Et, si jam relaxatio hac in parte, tam acerbos generat fructus: qualis subsequeretur desolatio, si e systemate educationis scholastico, ut saeculi poscit impietas, religio penitus eliminaretur? Sane emancipatio talis, deplorandam, ut pontificia nostra Encyclica non obscure arguit, pareret impietatis, ac vitiorum omnis generis servitutem.

Quae cum ita sint, iis, quae Encyclicis Summi Pontificis

nostri, hoc sub obtutu depromuntur, homo bonus prudensque tam parum potest offendi, ut potius tenera se gratitudine hoc quoque nomine, Suae Sanctitati obstrictum debeat confiteri.

VII.

Summus Pontifex noster, quemadmodum jam antehac data quavis occasione fecerat, hujus quoque Encyclicae tenoribus, condigne perstringit tristes illas bonorum ecclesiasticorum invasiones, religiosorum Institutorum convulsiones, piarum utriusque sexus familiarum expulsiones, depraedationes, ac contra ipsius etiam Pontificiae sedis proprietatem exercitas sacrilegas violentias, fraudes, omnisque generis iniquitates, quas in Italia cumprimis, Russicoque Imperio, in dies paene, videt saeculum nostrum, tantis a humanitate, mansvetudine, lenitate laudibus celebratum. Hanc Sanctissimi Patris in tuendis Ecclesiae, suisque juribus, ac legitima prorsus proprietate firmitatem, inimici Religionis gravissime subsumunt, obstinationis, obscurantismi, et variis idgenus sibi familiaribus compellationibus eam honorantes; egregie in hoc *liberales*, eo tantum cum discrimine, quod liberalitatem ex aliena, non sua exerceant bursa, e qua ne obulum unquam in Religionis fines impederunt. Nec ambigunt asseverare teneri hi humanitatis amici, hac tanta sedis Pontificiae constantia, vel, ut eorum lingua loquamur, asperitate exoptatam rerum nationalium coordinationem impediri, pacemque et prosperitatem publicam perturbari, ac quae temporum et eventuum ratio ad *completi facti* elevavit conditionem, novis convulsionum difficultatibus exponi, et periculis.

Permulta in hanc rem dici possent; sed, hac vice, sufficerit paucas fecisse observationes generales, quarum pondus omnis, vel tantillo justitiae et aequitatis sensu praeditus, agnoscat est necesse. Si quis substantiae suae, virtute donationis inter vivos, vel in tabulis testamentariae suae dispositionis,

haeredem constituat quampiam fabricam, mercantilem societatem, theatrum, aut eam in quoscunque alios profanos fines, etiamsi in dotationem personae, ad publicam notorietatem prostitutae vitae, assignet: dispositio ejus communi opinione, coram ipsis adeo judiciariis foris rata habetur, et si eam quis intervertere praesumeret, innumeris ansam daret reclamationibus. Sed si quis legitime acquisitae substantiae suae partem ecclesiae cuipiam, in augmentum cultus divini, vel in sacrificia pro refrigerio anime suae celebranda, aut in pios religiosorum Institutorum fines, aliaque christianae beneficentiae opera succolanda convertat: eotum dispositio, et solennibus etiam diplomatibus declarata ejus voluntas, variis impetitur crisibus, imo judicio liberalium nostrorum, aperte Gubernii civilis subordinatur arbitrio sic, ut hoc eam modificare pro lubitu possit, aut penitus etiam intervertere. Potestne talis cogitandi et agendi ratio componi, non dicam cum religiosa fide et pietate, sed vel cum justitiae naturalis ac honestatis legibus? Nec iniquitates, ex idgenus principiorum perversitate profluentes, minorem subeunt considerationem, si agatur de proprietate Pontificiae sedis. Imo hoc in casu major etiam est reatus, major eorum impietas. Possessorium enim summi Pontificatus totius per orbem terrarum sparsae Ecclesiae Catholicae proprietas est; idem peculiari divinae providentiae suam debet originem; est mille et quod excedit annorum legitimo usu roboratum, totius Europae, innumeris vicibus declarato consensu stabilitum, tamque in praesentibus rerum adjunctis necessarium, ut sine eo, Ecclesiae universae caput sublimis sui muneris partes nec cum requisita libertate, sed nec debita cum efficacia possit adimplere. Et quaerere licet: si quis liberalium, melius dixerim libertinorum, qui inimica idgenus erga Ecclesiam fovent principia, assultu praedonum sua privaretur proprietate; si violenti idmodi alienae proprietatis invasores, quocunque sub praetextu, ejus, quam legitima haereditate ab antenatis suis acquisierat

domum, armata invaderent manu, eamque in suos converterent fines, uno solum in usus proprietarii relicto conclavi, in quo is vitam degere cogeretur calamitosam, conflictans cum egestate, et mille afflictionum ac periculorum expositus injuriis; si inquam tristem hanc subire deberet sortem quiscunque eorum, qui iniquitates idgenus respectu Ecclesiae, venerandique ejus capitis, non modo excusant, sed et suis sophismatibus succolare praesumunt: num is acquiesceret dato sibi responso: novos possessores jam cuncta ad suam instruxisse commoditatem, factum completum esse, nec eos, citra ordinis pacisque convulsionem in sua posse turbari acquisitione? Non acquiesceret profecto inique despoliatus idgenus homo, suaeque proprietatis restitutionem omni, quo posset, meliore modo porro postularet. Turpe, et illiberalis animi est, alia uti mensura dum de propriis, alia dum de alienis agitur commodis et juribus.

Nec allegatae illae, e consideratione pacis ac prosperitatis publicae, completique facti argumentationes aliquam merentur attentionem. Facta enim, quae e peccaminoso iniquitatis promanant fonte, veram pacem et prosperitatem populorum nunquam possunt operari. Neque rapinae et iniquitates complemento facti, diuturnitateque sua possunt excusari; imo culpa et malitia earum tanto increscit magis, quanto earum reparatio in longius tempus protrahitur: perduratio enim in commisso flagitio, nova quodammodo in singula momenta ejus est renovatio. Et paene inauditum est crudelitatis genus, summusque tyrannidis gradus, iniquitate praedonum despoliato ipsos, de illiata sibi injuria justissimos questus, vitio vertere, ac iniquis exprobrationibus ei silentium velle imponere.

Haec sunt praecipua, quae Encyclicae pontificiae objiciuntur, quaeve aliqua possunt consideratione digna reputari. Caetera, quae allegantur, vel impia prorsus sunt, et sanae rationis non minus, quam Religionis christianae placitis plane adversa, vel ipso suo, quo promuntur modo, tam incongrua, debito

sedi Pontificiae respectui tantopere adversa, tam manifeste odium et cordis perversitatem arguentia, tamque audacis procacitatis: ut ea verecundior calamus chartae mandare refugiat, et vel propterea seria replicatione indigna debeant existimari.

Venerabiles fratres, filiique dilectissimi! Ab incunabulis mundi, a fratricidae Caini temporibus, humanum genus in duas fuit acies divisum, quarum altera pro Deo, pro virtute, sanaeque rationis postulatis, altera pro eo, qui mendax fuit ab initio, pro lege quae est in membris nostris, pro cunctis, quae superbiae humanae, carnis et oculorum concupiscentiae favent, depugnabat, vario armorum genere, variaque fortuna, nec minore cum studio quam exasperatione. Paene omnis generis nostri historia enarrandis infesti hujus belli phasibus absolvitur. Funestum idem bellum furit et hodie; imo nunquam fortasse majore gerebatur contentione, quam inquieto hoc, tantisque, ac tam rapidis rerum eventibus abundante aevo nostro. Parte ab una divinum christianae fidei lumen, fidelisque ejus comes, morum puritas et innocentia vitae; parte ab altera incredulitas, praejudicatae opiniones, et perversarum doctrinarum systemata, quaeve his indissolubili connexa est vinculo, corruptela morum, strictis invicem impetunt armis, pugnisque perpetuis. In hac aspera mutuarum impetitionum tempestate, unicum, quod tuto homines ad salutis portum ducere potest, sidus est, incomparabile illud Institutum, quod Salvator humani generis columnam esse voluit stabilitae per se fidei, et firmamentum veritatis; quocum se futurum promisit usque saeculorum finem, et contra quod nec portae inferi possunt praevalere. Intelligitis dilectissimi, loqui me de Ecclesia nostra Catholica, quae regitur, gubernatur, numine Spiritus sancti sic, ut ab omni, in rebus fidei et morum, errandi periculo sit immunis. Pro magno itaque, nec unquam satis aestimando beneficio est reputandum, quod eadem, infallibilitatis praerogativa divinitus instructa, sacrosancta Ecclesia nostra, voce visibilis sui capitis, id vero

est legitimi successoris ejus, cui, ceu firmae petrae est superedificata, de tempore in tempus suam elevet vocem maternam, ostendendo mortalibus viam, quam in tanta errorum, perversorumque placitorum colluvie, tenere eos oporteat, ne tot inter periculosos fluctus syrtesque, naufragium fidei aut morum eos pati contingat. Salutaris idgenus tuba nobis recentissime intonuit in iis, quas praesentibus vobiscum communicamus, et de quibus hucdum nobis sermo fuit, literis apostolicis. Nec solum vox eae sunt attentionem nostram provocans, sed sunt alte eminens palladium, sunt vexillum, sub cujus umbra nos coadunari oporteat, quodve fideliter ac irremisse sequi debeamus, si prospere volumus adversus corruptum saeculi genium depugnare. Sub hujus vexilli ducatu, citius tardius, certa nobis arridet victoria. Agite itaque fratres et filii dilectissimi! classicum intonuit, fervet pugna pro aris focisque, et quidem una ex acerrimis, quas unquam mundus vidit, et a cujus eventu temporalis non minus, ac aeterna humani generis dependet prosperitas. Non inferamus ignominiam nomini nostro, sed, abjecto omni metu et tepore, depugnemus fortiter, irremisso studio, et cum fervore: defendendi enim sunt adversus innumeros hostes, vafricia, odio, et audacia prorsus insignes, muri sancti Jerusalem, nostrae cumprimis fidei nostraeque virtuti dati in custodiam. Fixum nobis sit, non cedere in causa tam praeclara, nec ulla reformidare pericula, ullas adversitates, ipsam adeo, si opus fuerit, vitam immolare potius, quam vel turpiter deserere signa nostra, vel fortitudinis et perseverantiae defectu, cedere hostilibus armis. Caeterum meminerimus jugiter in medio etiam strepitu amorum, nos ejus causam agere, ejusque esse milites, qui, licet invincibili animi robore sanctissimum suum propositum, coelestisque sui Patris voluntatem explere perrexerit: tantam tamen praesetulit animi mansuetudinem, ut pleno jure dicere potuerit: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* Ejus inquam nos et milites esse, et discipulos, qui

dixit: *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae.* Ejus milites et discipulos, qui, licet innumeris, acerbissimisque, durante sua in his terris commoratione, affectus fuerit calumniis et injuriis: tamen jam ex cruce, in quam ingratum humanum genus eum egerat, pendens, coelestis Patris misericordiam pro ipsis carnificibus suis implorabat. Sit igitur et noster fervor semper et ubique junctus humilitati et mansvetudini, ab omni alienus duritie aut spiritu persecutionis; sit zelus noster temperatus prudentia et moderatione: his enim destitutus, non modo nil operaretur boni, sed destrueret potius quod aedificare deberet; sit denique studium nostrum Dei gloriam promovendi, intime junctum genuinae proximi dilectioni, cui tota nostra superstructa est religio, ex qua lex pendet et Prophetae, quaeve vinculum constituit prefectionis. Invicta parte ab una animi fortitudine, infracta parte ab altera mansuetudine, ac fatigari nescia charitate, bismille paene annorum decursu gloriose superavit Ecclesia Catholica innumeros inimicorum suorum impetus; nos quoque, his instructi praesidiis, adspirante divina gratia, prospere pugnabimus, et beate moriemur. Gratia Domini nostri Jesu Christi sit cum omnibus vobis. Amen. Datum Zagrabiae die 5. Februarii anno reparatae salutis 1865.

Georgius Cardinalis Archi-Episc.

VI.

Literae pastorales,

INTUITU FOVENDAE PACIS ET HARMONIAE.

Venerabiles fratres, dilecti filii!

Accidit, nec raro, viatoribus, e remotis oris, per ignotas regiones, in suam patriam remeantibus, ut in bivium offendant, duas semitas exhibens, quarum una rectum ad intentam metam, commodum, tutumque praebet commeatum, altera a scopo abludens est, salebrosa, variisque periculis infesta. Nihil opus est demonstrare, quantopere intersit idmodi viatoris, ut ne in suo, has inter semitas, aberret selectu.

Sapientium omnium sensu, nobis, Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae incolis, bivium idgenus aperitur in proxime, ut collimare, et, nisi infaustum quoddam emergat impedimentum, sperare quoque licet, asservandis Comitiis nostris. Quippe dupplicem ea patriae nostrae pandent viam, quarum una deducere eam poterit ad exoptatissimum illum publicarum rerum suarum statum, in quo, exaequatis, quae actu ei cum legitimo suo Principe, ejusque Regimine intercedunt, dissensionum punctis, tutam, firmamque, quoad rerum humanarum patitur conditio, consistentiam reperire possit, et quidem ceu honoratum amplae Monarchiae Austriacae membrum, salva propria, eaque insigni autonomiae, et nationalis constitutionis, sobriaeque libertatis dignitate, ac retentis cunctis illis e majo-

rum haereditate acceptis juribus, quae quoquomodo cum saeculi genio, totiusque Imperii securitate, unitate, et majestate queant conciliari. Ad eum inquam rerum publicarum statum nos ducere possunt instantia haec Comitia, in quo et beata nobis gaudere liceat pace, et, penes omnimodam honoris, proprietatisque securitatem, cunctis spiritualibus aeque, ac materialibus, perfrui queamus emolumentis; cujusmodi emolumenta, penes ordinatum publicae administrationis cursum, e progrediente in dies humani generis cultura, suapte virtute solent progerminare. Altera, quam eadem Comitia nobis reseratura sunt, via ducit ad remotas, nec satis exploratas oras, quae a procul amoena quidem nonnullis videntur praeditae coeli clementia, sed quae acutioribus oculis, variis, iisque periculosis obnoxiae sunt tempestatibus; ducit ad montes, e longinquo auri speciem praeseferentes, sed qui propius inspecti, non sunt nisi congeries saxorum, et sterilium petrarum, praeruptis scatentes praecipitiis; ducit ad campos et prata, ad speciem fertilia, amoenoque virore oculos demulcentia, sed quae reipsa venenosis sunt plantis, et fallacibus vadis referta; ducit ad sylvas lucosque, deliciosas viatoribus umbras promittentes, sed qui sunt rapacibus feris horridi, imo latronum discriminibus obnoxii.

Itaque futura patriae nostrae sors ab eo potissimum dependet, utram e his duabus viam in futuris Comitiis sit initura? Uberiori thesis hujus demonstrationi haud immorabor. Unum tantum memorabo, quod nemini, veras rerum rationes expendere scienti volentique, potest esse ambiguum. Scilicet, si haec etiam Comitia absque resultato, et citra revectam Regimen inter et patriam nostram harmoniam, dissolvi contigerit: novorum rursus Comitiorum convocandorum spem vix, ac ne vix quidem amplius posse affulgere. Neque enim prudenter, ac vel cum aliqua aequitatis specie, a Regimine potest expectari, minus postulari, ut, posteaquam tot, tantaque suae erga

nos edidit benevolentiae documenta; postquam incassum nobis legali via, modoque, semel ac iterum publice regni negotiorum pertractandorum largissimum aperuit campum: tertia quoque vice idem instituat experimentum, et denuo, cum gravi sui compromissione, magnisque, caeteroquin tenuis, patrii aerarii sacrificiis, asservanda indicat Comitia. Quales e precario idgenus statu in patriam, futuramque ejus sortem dimanaturae forent sequelae? cuique, pro genio suo autumare liberum esto. Id tuto asseverari posse arbitror: tali eventu locum sortito, Croatiam, porro, ac longum in tempus, in praesenti sua, indeterminata, fluxaque et ambigua conditione permansuram; quod quidem nemo, qui acerbos provisorii fructus degustavit, potest desiderare. Sed nemo etiam potest ambigere, hoc pacto patriam nostram, nec sub politico, nec sub administrativo, aut sociali, sed nec sub materiali, vel quocunque alio obtutu, ad parem cum aliis nationibus culturae, et prosperitatis gradum eluctaturam, nec popularium animos ad illum malaciae statum perventuros, qui ad beate degendam vitam tantopere est necessarius. Sunt quidem, qui existimant, continuato negationis et oppositionis systemate, salvatum iri avitam Constitutionem nostram. At vero, qui ita sentiunt, videant, ne, quae splendida putant palatia, non sint nisi fata morgana, mox ubi oculi serenati fuerint, evanitura.

Porro, quemadmodum indubium est, sortes patriae nostrae potissimum ab exitu imminentium Comitiorum dependere: ita nemo prudenter ambigere potest, characterem et efficaciam eorundem Comitiorum pendere a delectu individuorum, quae in iis nationem sunt repraesentatura. Certe, si haec, aut potior saltem eorum pars, fuerint viri, qui rerum nostrarum rationes, relate ad universam Monarchiam, relate item ad eas, quas genius saeculi, posteriorum aliquot lustrorum defluxu, in tota paene Europa operatus est mutationes, probe sciant penetrare; viri, quorum mentis serenitatem haud obfuscarunt praejudicio-

rum passionumque tempestates; qui desideria sua intra possibilitatis et modestiae continere norint limites, nec somniis delectentur, aut fatuis ignibus, idearumque transcendentalium se seduci sinant praestigiis; qui denique non spurio, sed genuino sint patriae amore animati; si inquam major adminus pars Comitiorum nostrorum e hujusmodi coaluerit elementis: spes omnino affulget fundatissima, fore, ut ea optato, prosperoque effectu coronentur. Quod quidem eo tutius potest affirmari, quanto certius est, Regem nostrum Apostolicum, virosque ad clavum Gubernii positos, benevolentissimo erga patriam nostram animari affectu, esseque promptissimos ad cunctas, quae intra possibilitatis sunt sphaeram positae, nec totius Imperii dignitati, unitati ac securitati repugnant, ei faciendas concessiones. Vadem hac in re habemus parte ab una insignia illa, saneque amplissima regiae benignitatis documenta, quae postremis his annis obvenerunt patriae nostrae; parte vero ab altera illum nobis perquam favorabilem rei situm, quod ipsius alti Regiminis multum intersit, ut hae adminus Monarchiae partes ad normalem suum quantocius redeant statum, neque oppositionalis, undique se exerens spiritus, uberiora adhuc ex iis capiat incrementa.

Quae cum ita sint: vix quisquam bene suae patriae cupiens, audebit inficiari, ad boni cujusvis viri obligationem referri, eo honestis omnibus artibus eniti, ut in futuros nationis repraesentantes, deligantur viri, iis, quas paulo ante summarie delineavi, mentis, animique dotibus instructi.

Sed obligatio haec praecipue, pluribusque ex obtutibus incumbit Sacerdotio.

Imprimis quippe notum est omnibus, ad primas ministerii sacerdotalis partes referri nobile docendi munus. Nemini certo magis, quam Evangelii praeconibus congruit, hominum mentes veris illuminare rerum conceptibus, dedocere errores, falsas eradicare opiniones, dabellare praejudicia, sedare in animis passio-

num fluctus. Neque etenim frustra Salvator noster Apostolos suos, eorumque successores lucem mundi compellavit, quae lucere debeat omnibus, qui in domo sunt; compellavit salem terrae, quo praeservari debeant corda mortalium a pernicioso-rum affectuum putredine. Sed specialius adhuc munus hoc incumbit sacris Curionibus, qui praesunt fidelibus, quorum po-tior pars sublimiori est cultura destituta, nec absque prudenti ac benevolo ductore, seu veritatis tramitem invenire seu in-ventum firmo passu terere valet. Nemo ignorat, quod ruralis praesertim populus, suae hac in parte imbecillitatis conscius, in quibusvis majoris momenti, ac difficilioribus negotiis suis, lubentissime ad suum recurrat Pastorem animarum. ejus de-poscat consilia, taliaque, si germana erga eum fertur fiducia, etiam prompte sequatur. Unde suapte consequitur, sacros Cu-riones magnum exerere posse in sentiendi agendique rationem suorum fidelium influxum. Sed consequitur quoque, eos sacro-sancto teneri officio, hoc suo influxu utendi ad promovendam imprimis aeternam, tum etiam temporaneam suis manibus cre-ditae multitudinis, prosperitatem.

Nec quisquam obvertat: agi hic de quaestionibus munda-nis ac politicis, sacerdotii vero magisterium nonnisi ad ea re-ferri quae fidem, ac morum integritatem respiciunt, et ad aeternam salutem pertinent animarum. Non careret suo pon-dere haec asseveratio, si reapse sermo nobis esset, de re adia-phora, thesi mere politica, quam quisque, salvis moralis chri-stianae praescriptionibus, et illaesa conscientiâ suâ, adoptare possit vel repudiare. Sed vero, ut ex iis, quae superius memo-raram, affatim impatescit, agitur de negotio, a cujus exitu futura pendet sors patriae, dec omnino, e morali etiam obtutu, in ea liberae electionis nobisr elinquitur arbitrium. Certe, quem-admodum officia nobis incumbunt erga Deum, nosmet ipsos, et singillativos proximos: sic et erga patriam indubiis obstrin-gimur obligationum vinculis. Signanter tenemur, quoad salvis

religionis et honestatis principiis licet, ejus prosperitatem pro viribus promovere: Paulus Apostolus, incomparabili quidem erga omnes homines charitate aestuabat, ac cunctas obibat gentes, salutiferum christianae fidei lumen iis adlaturus; hoc tamen non obstante, peculiari erga suam gentem flagrabat dilectione. Nam nonnisi hic tener ejus erga populares affectus, ea ipsi elicere poterat verba, quae legimus in ejus ad Romanos scripta epistola: *Optabam*, ait, *ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem.* Et ipse divinus Salvator noster, quamvis omnes omnino homines pretioso suo sangvine redempturus venerit in mundum; tamen amaras profudit lacrymas super metropoli patriae suae urbe, praevidens spiritu quas ea, perversa obstinatione sua, sibi ad-scitura foret calamitates.

His non minimum accrescit pondus ex eo, quod negotium vertat pacis, et reconciliationis Regem inter Apostolicum, nostram-que patriam constabiliendae, et revehendae. Quae est etiam ho-minum classis, a qua potiori jure exigi possit, ut fines pro-moveat pacis, quam ab ea, quae expresse in Evangelii pacis ministerium et deputata? Cui sanctior incumbit obligatio suos in hunc scopum impendendi conatus, quam iis, qui aperte se discipulos profitentur principis pacis, ministros Jesu Christi, qui toties ingeminabat Apostolis suis: *Pacem relinquo vobis; pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis?* Cui magis cordi esse debet reconciliatio animorum, tur-batae harmoniae restabilitio, quam Sacerdotibus, qui nec igno-rare possunt, nec unquam oblivisci debent, divinum suum Ma-gistrum tanti fecisse reconciliationem inter dissidentes, ut eam ipsi Sacrificio praeponendam declararet. *Si*, ait, *offers munus tuum ad altare*, et *ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te: relique ibi manus tuum ante al-tare, et vade prius reconciliari fratri tuo: et tunc veniens offeres munus tuum.* Et quomodo coram propriae suae con-

scientiae foro se exculpare, quomodo coram justo aeterni Judicis tribunali validas olim reddere poterit rationes Sacerdos, qui suo, quo vi sanctae vocationis suae, in aliorum animos pollet influxu, non utitur ad restabiliendam turbatam inter homines pacem, aut plane inconsideratis dictis factisque suis, eo ad magis etiam incendenda dissidentium corda abutitur? Certe sacer Curio, vi nobilis sui muneris, pacificator esse debet, quotiescunque inter conjuges, aut in familiarum gremio interversam videt harmoniam, mutaque observat odia exarsisse. Quanto magis ad ejus pertinebit obligationem, partes suscipere angeli pacis, ubi res agitur integram inter nationem, ejusque Principem legitimum? quanto ardentioribus debet conniti studiis in restabilitionem pacis, quocunque infelici casu inter eos perturbatae? quanto sincerius, impensioribusque curis elaborare eum oportebit, ut cesset tandem infaustum dissidium, quod tanta jam patriae peperit incommoda, eamque praesentissimo exponit subruendae propriae suae consistentiae, et adtrahendarum in dies ampliorum in se calamitatum periculo? Sane, qui tali se officio exemptum existimare posset Sacerdos, sacer imprimis Curio, male responderet praeceptis exemploque divini Magistri sui, qui et monuit discipulos suos. ne sinerent occidere solem super iracundia sua, et in cruce jam pendens, pro ipsis iniquis tortoribus suis veniam a coelesti suo patre est deprecatus.

Negari non potest, prioribus temporibus, non levia juribus nostris constitutionalique nostrae libertati incussa fuisse vulnera; nec proinde mirum videri potest, diffidentiam subortam esse erga altum Regimen, in animis popularium nostrorum. Admittet etiam, quivis aequus rerum aestimator, tristes illos eventus tanto sensibiliori dolore afficere debuisse nationem nostram: quanto magis ea intemeratae suae erga Augustam regnantem domum fidelitatis, exantlatorumque in ejus commoda insignium meritorum, sibi conscia fuit. Sed negari pariter non potest, ardua prorsus, ac singularia fuisse temporis illius ad-

juncta; ubi nimirum Imperium Austriacum et infestis exterarum potentiarum armis impetebatur, et ex internis populorum motibus, imo apertis rebellionibus, in ipsis suis contremuit fundamentis, tantopereque diversitate opinionum, et contentionum ardore, concussum fuit, ut nonnisi proclamato, quoad cunctas provincias aequalitatis principio, ab interitu vindicari posse videretur. In tristi idgenus, prorsusque extraordinario rerum statu, extraordinariis etiam opus fuisse remediis, vix quisquam aequitatis sensu preditus potest iuficiari. Caeterum tempora illa, adspirante divino Numine praeterierunt, nostraeque patriae majori ex parte sua restituta est constitutionalis libertas, ac tantae ei, postremo evoluto decennio, benignitate Apostolici Regis nostri, factae sunt concessiones, ut inflicta prioribus temporibus vulnera non modica sui parte compensata dici possint. Neque tristium idmodi eventuum recursus prudenter dehinc praemetui potest, nisi nos ipsi, continuata passiva resistentia nostra, immoderatione, ac nimiis praetensionibus nostris, eos in nostra, posterorumque nostrorum colla adtraxerimus. Certe, postquam cunctae Austriacae Monarchiae provinciae constitutionalem consecutae sunt libertatem, postquam patriae nostrae regimini praesunt viri e sinu nationis desumpti, sincerique constitutionalis regiminis formae amici: metus idgenus non modo omni solido destitueretur fundamento, sed sanis logices principiis, humanique judicii rationibus repugnaret. In reliquo absoluta in rebus humanis securitas non datur, nec ulla adhuc in mundo edita fuit constitutio, quae nullas passa fuisset phases, semperque in sua integritate perstitisset. At vero sapientis est, probabilitati, et prudenter combinatis rerum acquiescere rationibus.

Sunt plura etiam argumenta, aperte poscentia, ne, inito quodammodo foedere cum oppositionali temporis nostri genio, adeo optabili patriam inter et altum Regimen nostrum harmoniae restitutioni ultro quoque ponamus impedimenta, sed ut

potius ad eam quantocius, quove fieri potest plenius revehendam sinceris, ubicunque se nobis offert occasio, studiis, concurrere laboremus. Missis caeteris, unum adhuc, quod proprie ad Statum sacerdotalem adtinet, memorabo. Caecus sane sit oportet, qui non videat tempora nostra religioni, cumprimis catholicae, ejusque ministris vehementer esse infesta. Quocunque vertimus oculos, manifesta inimici hujus genii se nobis praesentant indicia. Videmus ipsa sanctissima fidei christianae dogmata vaferrime, nec minori cum impietate quam procacitate et audacia impugnari. Videmus venerabile Ecclesiae Caput turpissimis affici calumniis, exspoliari, omnisque generis impietatis armis lacessiri; Antistites sedibus suis depelli, in carceres conjici, aut in exilia relegari; secundi quoque ordinis Clericos, saeculares non minus ac regulares, ob fidelem principiis fidei suae adhaesionem, variis affici injuriis suisque beneficiis exui. Videmus in cunctis paene Imperiis et regnis, etiam catholicis, Ecclesiae auctoritatem vilipendi, honorem deprimi, jura, etiam manifestissima, interverti. Inimicus hic erga Ecclesiam, Clerumque catholicum spiritus, in nostra quoque Monarchia, signanter penes illam Imperialis Consilii, partem, cui religio haud magnopere cordi est, jam conventionis cum Sede Pontificia initae impugnatione, jam religiosorum Ordinum infestatione, jam apertis nisibus institutionem juventutis ab omni Sacerdotii influxu eximendi, jam denique aliis modis in dies se prodit manifestus. Scimus etiam, quo, magna sui parte, fuerint spiritu animata, posterioribus praesertim temporibus, Comitia Hungarica. Ipse propria, tristi sane experientia doctus, multa hanc in rem possem disserere. Sed nolim infandum mihi ipsi renovare dolorem, vobisque ingratissimarum rerum enarratione creare fastidium. Id tantum fidenter, bonaque cum conscientia assevero: si vota oppositionis intento fuissent effectu coronata, neque religiosa Apostolicorum nostrorum Regum pietas ejus restitisset molimini bus: Ecclesia Catholica, ejusque Sacerdotium

apud nos quoque hodie terrae prostrata jacerent, suo exuta honore, cumque egestate colluctantia; quemadmodum id in cunctis aliis regionibus, in quibus revolutionis triumphat genius, cernimus evenisse, magisque in dies invalescere. A saeculis regnans Augusta Austriaca domus praecipuum fuit Fidei et Ecclesiae Catholicae praesidium, id hodiedum manet, quantiscunque religiosissimi nostri Principes in contrarium infestentur provocationibus. In tali rerum situ, certe et grati animi sensus, et prudentiae ratio a nobis Sacerdotibus deposcit, ut Regis nostri Apostolici, in populorum suorum prosperitatem tendentibus intentionibus, non modo non repugnemus, sed iis, praesertim, ubi ad restabiliendam, se inter et patriam nostram, harmoniam suam porrigit manum, sincere collaboremus.

Nec quisquam dicat, haec principia servilem sapere spiritum, posseque juribus et constitutionali nostrae consistentiae perniciosa evadere. Nequaquam venerabiles fratres et filii dilectissimi. Ipse semper ejus fui opinionis: Nationem plena gaudere facultate, imo obligatione teneri, legitime acquisita sua jura quovis licito modo defendendi. Sed vero vel ex iis, quae superius memoraram, impatescit, non agi hic de cedendis quibuscunque, quae pro mutatis temporum adjunctis servari possunt, nationis juribus, de immolanda ejus autonomia aut constitutionali libertate, vel nescio quibus, sub materiali quoque obtutu ferendis sacrificiis. Sed agi potius de his cunctis constabiliendis, enucleandis magis, et a minitante periculo eripiendis; quae quidem inaestimabilia beneficia nonnisi restabilito in patria rerum ordine, revectaque nos inter et regnantem Principem harmonia, possunt salvari. Itaque nostra in rem cooperatio hoc etiam fidentius expectatur, quo minus negari potest, quod idipsum et prudens ad propria commoda respectus, et gratitudinis officium suo a nobis jure deposcant.

Venerabiles fratres, et filii dilectissimi! Historia saeculorum rarum illud, vereque insigne de antenatis nostris perhibet

testimonium, eos jugiter, ac in difficillimis etiam rerum adjunctis, eam semper viam tenuisse, quam et fidelitatis erga legitimos suos principes et prudentiae ratio designabat. Duarum harum virtutum, ceu totidem geniorum, a divina providentia in sui custodiam deputatorum, vestigia secuti majores nostri, in maximis etiam discriminibus, patriam suam persaepe a minitante ei interitu feliciter praeservarunt. Sic anno adhuc 1527. in Cetinensibus Comitiis, sapienti prorsus consilio, Ferdinandum augustae prosapiae Habsburgensis Principem, in Regem elegerunt; quod si facere tergiversati fuissent, secundum omnes probabilitatis leges, Croatia hodie tristissima illa premeretur sorte, quam Bosnia, Hercegovina, aliaeque, nationalitate nobis affines, et sub turcico jugo adhucdum gementes Provinciae experiuntur. Pari sapientiae instinctu, anno 1712. Sanctionem pragmaticam adoptare festinaverunt antenati nostri. Numine eorundem suorum geniorum, prudentiae quippe, et intemeratae erga legitimum suum Principem fidelitatis, protecti, multificarios, variis occasionibus sibi objectos laquaeos vel prospere evitarunt, vel fortiter diruperunt. Nunc itidem in ambiguo, imo magis fortasse, quam unquam antehac, critico situ constituitur cara patria nostra. Utinam eodem tutelarium suorum geniorum afflatu animata, actu quoque eum ineat agendi modum, ut posteri nostri idem nobis praebere possint testimonium, quod nos grato cum animi affectu tribuimus antenatis nostris. Certe neque rigida antiquis illis exemptionibus ac juribus, quas saeculi genius irrevocabiliter decoxit, adhaesio; neque inconsiderata concessionum, quae cum universi Imperii securitate, unitate, aut dignitate conciliari nequeunt, postulatio; neque speciosae de illimitata propria independentia, et imaginaria amplitudine conceptiones, neque denique exaggeratus, aliarum gentium vilipensionem, aut plane odium importans nationalitatis spiritus, idgenus pulchri testimonii nobis possent laudem emereri; minus adhuc infelix altiorum auctoritatum

dispositionibus, ipsiusque Apostolici Regis nostri desideriis semet opponendi pruritus, aut gloriolae, e popularis aurae applausibus acquirendae consectatio. Minime vero omnium bearemus patriam nostram captatione idgenus systematum constitutionalium, qualia evolutis temporibus procusa fuerunt, imo et actu nobis propinantur. Duo ex his memorasse suffecerit. Alterum, quod occasione postremorum Comitiorum nostrorum, per ipsum ejus compilatorem, ceu fecundi sui ingenii praradigma in comitiali sessione perlectum, trium horarum spatio insigniter exercuit patientiam nostram. Aterum, quod nuper admodum in certis Pragensibus pagellis publicam conspexit lucem, suae quidem compilationis dato locoque destitutum, sed virorum publica passim officia gerentium aut secus celebritate gaudentium, nominibus exornatum, quorum tamen duo praecipui hunc sibi tributum honorem mox palam sunt deprecati. Possunt talia materiam suppeditare ingeniosis phantasiae lusibus, fortasse etiam poëticis somniis, sed vero nos in praesentibus rerum nostrarum adjunctis, reali beare prosperitate non possunt. Ad hanc, pro intima convictione mea, ea tantum, quam superius indicaveram, via potest perveniri; et ut hanc patria nostra ingredi, tutoque gressu percurrere valeat, pro instantibus suis Comitiis opus habet repraesentantibus, aeque indicatis jam mentis et animi dotibus instructis.

Itaque vos, dilectissimi, paterne, hortor, et fiducialiter requiro, ut, in quantum nefors fideles vestra exquisierint consilia, aut secus opportuna se obtulerit occasio, vestra in rem sensa manifestandi, non modo nihil committatis, quod judicii vestri maturitatem, aut Status sacerdotalis sanctimoniam compromittere, intentumque saluberrimum finem, quoquo modo impedire posset, sed in hunc potius, quo certius obtinendum, observatis utique cunctis moderationis et prudentiae legibus, sincere cooperemini; sic optime et conscientiae vestrae rationibus, et voca-

tionis vestrae dignitati, et denique verae patriae prosperitati consulturi.

Quod si iterum reperirentur, quorum mentes ea subiret suspicio, me ad haec vobis suppeditanda consilia altioribus nutibus, aut nescio quibus secundariis finibus fuisse determinatum: iis respondisse suffecerit: hominem, qui in cunctis longae suae vitae phasibus eadem semper tenuit principa, talia non solere mutare in terrestris sui cursus crepusculo; praesertim, si, opitulante divina gratia, eo sit positus loco, ut nihil amplius caducorum honorum bonorumque possit desiderare nedum expectare.

Quaerite pacem civitatis, ad quam transmigrare vos feci, aiebat Dominus per os Jeremiae Prophetae, *et orate pro ea Deum, quia in pace illius erit pax vobis.* Gentium quoque Apostolus, hortatur nos scribens ad Romanos, ut *ea quae pacis sunt, sectemur.* Item ad Colossenses: *Et pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua vocati estis in uno corpore.* Amen Datum Zagrabiae die 15. Martii anno Domini 1865.

Georgius Cardinalis Archi-Episc.

VII.

Literae pastorales,

INTUITU CRESCENTIS IN DIES INCREDULITATIS, EJUS CAUSIS, ET REMEDIIS.

Venerabiles fratres, dilecti filii!

Meis Dominica 3. post Epiphaniam anni proxime evoluti 1865. ad vos datis pastoralibus literis persvadere vobis contendebam fratres ac filii dilectissimi, calamitatum, quae nos undique premunt, si non praecipuam, unam certo e potioribus causam in eo esse quaerendam, quod divinae aeque, ac humanae auctoritatis idea magis in dies labefactetur in mentibus cordibusque hominum. Et, praemissa auctoritatis notione, demonstrare laborabam, eam prorsus necessarium esse humanae societatis requisitum. Ostendebam, quam imperfecti, atque adeo erronei fuerint gentilis mundi de auctoritatis natura, scopo, et applicatione conceptus? Explicabam, Salvatorem nostrum, Jesum Christum, verae, salutarisque pro humano genere auctoritatis statorem fuisse et vindicem; quamve incomparabilia exhinc in genus nostrum promanaverint emolumenta? Denique ad calcem ejusdem pastoralis epistolae meae observabam: meas istas de auctoritate depromtas considerationes ampliorem et vim persvadendi, et claritatem fore consecuturas, si singillativae ejus species, uti sunt paterna familiarum, sacerdotalis, et regia auctoritas, simili subjicerentur examini, velleque me id praestare alia op-

portunitate, si divinae placuerit benignitati, labascentes mentis, corporisque mei vires aliquo adhuc tempore conservare.

Quod sic eotum receperam, hac vice optabam exolvere; ubi nimirum, adpropinquante sacro quadragesimalis jejunii tempore, dono divinae gratiae, mihi concessum est, pro recepto vetusto more meo, rursum aliqua ad vos, venerabiles fratres filiique dilectissimi, dirigere verba salutis. Sed vero perpetuae istae, quibus exercemur, agitationes politicae, penes quotidianas regiminis dioecesani curas, haud tantum mihi reliquunt temporis, ut amplioris indaginis elucubrationes queam instituere.

Quamobrem, exsolutione dati vobis verbi in aliud iterum tempus, si tale mihi concedere divinae visum fuerit misericordiae, relegata, hac vice, nonnulla tantum, quae tempore nostro, intensionem pastoralis nostrae sollicitudinis majorem in modum provocant, in memoriam vobis revocabo.

Milites, quorum fidei insignis cujuspiam castri tutela commissa est, quo locatae in se belliducis fiduciae respondeant, cunctos hostilis exercitus motus observant quam diligentissime; num, quave ex parte assultus pericula immineant? et quibus stratagematibus, quibusve armorum generibus iis efficaciter occurri possit? studiose indagant; nec, pro re nata, ulli ad defensionem munimenti requisitae parcunt virium contentioni. Nobis quoque fratres ac filii dilectissimi, qui spirituali militiae nomen dedimus, tuitio nobilissimae arcis, cui tota coelestis Jerusalem, id vero est sacrosanta fides et Ecclesia nostra innititur, commissa est; summi sane momenti praesidium: siquidem cum eo stet vel cadat humani generis temporanea aeque, ac aeterna prosperitas. Circumferentes oculos mentis nostrae, videmus eam exasperatissimis circumseptam hostium agminibus, omnisque generis oppugnari armis et continuis urgeri assultibus. Hos inter assultus quosdam, qui praesentissima portendunt pericula, memorabo.

Inter tot, tamque acerba mala, quibuscum luctari aevo nostro cogitur sancta religio, et Ecclesia nostra, vix aliud majus est atque perniciosius, quam tristis, penes omnes hominum classes, in dies magis semet exerens spiritus incredulitatis; tepor iste, incuria, atque adeo vilipensio rerum ad fidem et religionis exercitium pertinentium. Indifferentismi religiosi contagio tantopere jam corripuit mentes cordaque hominum, maxime superficiali quadam literarum cognitione tinctorum, ut non modo superbe negligant in fidei christianae placitis solidas sibi comparare notitias; non modo non ambiant laudem integritatis fidei, quam a majoribus suis felici consecuti sunt hereditate, sed plane affectata hac in parte ignorantia glorientur, ac paene pudori sibi ducant, viva fide praeditis accenseri Christianis. Deplorabilis hic tepor religiosus, apud bene multos in apertum plane degeneravit odium religionis; apud alios in veri nominis deflexit acediam; apud plerosque tristem adeo rerum ad fidem et religionem pertinentium induxit incuriam, ut vix aliquando divino interveniant cultui; refugiant, imo aperte vilipendant publicas in fidei dogmatibus, puriorisque vitae placitis institutiones; dedignentur uti sanctificandae animae mediis, per auctorem fidei nostrae, tam salubriter, tantaque cum amoris providentia, in innocentiae ac salutis hominum subsidium institutis; ut jejunii, abstinentiae, aliisque vetustate sua venerandas, ac insigni sua utilitate, longa saeculorum serie commendatas Ecclesiae leges despiciant, imo tales in superstitionum, et prudente homine indignarum minutiarum categoriam relegent.

Quales ex deploranda idgenus christianae fidei relaxatione promanare debeant sequelae, sana ratio, sed magis adhuc universalis demonstrat experientia. Profecto, tantopere refrigescente fidei ardore nemo mirari debet, mundum inundari impiis, in subruitionem christianae fidei directis, naturalismi ut aiunt, et rationalismi, nec non materialismi atque adeo aperti atheismi principiis refertis libris et pagellis publicis. Nemo mi-

rari debet, ipsa religionis et theologiae naturalis dogmata, ipsa sanae humanae rationi innata, ac communi omnium nationum, saeculorumque consensu stabilita, de morum probitate, de justitia et aequitate axiomata in dubium vocari, partem in omnem torqueri, non raro aperte impugnari, ipsum adeo virtutem inter et vitium intercedens discrimen audaci cum petulantia pernegari. Et, siquidem idmodi principiorum perversitas non possit non funestum suum in actiones hominum vitamque exerere influxum: nemo etiam mirari potest, majorem in dies invalescere morum licentiam, arbitraria divortia tristem in modum multiplicari, vagae libidinis, et lasciviae pestem caput erigere, usque adeo, ut in multis urbibus, amplioribusque oppidis illegitimarum prolium numerus paene numerum adtingat partuum legitimorum. Nemo porro miretur, actiones, studia, totamque hominum contentionem, non jam ad assecutionem supremi, nobis per creatorem praestituti, finis, sed in honorum, dignitatum, opum et commoditatum, voluptatumque omnis generis acquisitiones dirigi, sicque nobilem illam characteris rectitudinem, simplicitatem, teneram in promissorum exsolutione fidem, quae tantopere distingebant primos christianos. sensim evanescere in tantum, ut ipsa jurisjurandi sanctimonia haud tutum amplius eruendae veritatis praebeat subsidium. Verbo: postquam fides christiana in tam miserandum modum attenuata est in mentibus, cordibusque hominum; nil mirum, abominandam illam morum perversitatem, quae, antequam lux Evangelii mundo illata fuisset, undique grassabatur, grassaturque hodiedum apud cunctos, benefico christianae fidei lumine destitutos populos, magnis iterum passibus suum recuperare imperium. Quemadmodum enim certum est, ingentem illam gentilium morum corruptelam unice christianae veritatis pharmaco depulsam fuisse; quemadmodum certum est, non suppetere humano generi aliud sub sole nomen, in quo verae humanitatis, germanae culturae, innocentiae, veraeque pietatis firmum habere possit praesidium, quam sit no-

men Jesu Salvatoris: ita quoque certum est, infirmato, contempto, aut plane eradicato hoc nomine, priscam illam, corruptae nostrae naturae inhaerentem morum barbariem reviviscere, eoque rursum increscere magis, quo longius receditur a salutiferis placitis christianae fidei.

Quod majorem in modum auget solicitudinem, vivaque bonorum omnium corda replere debet tristitia, est, quod, licet refrigescentis fidei calamitas tantas jam undique strages ediderit, porroque edere pergat: perpauci tamen, apud nos saltem, in cultiorum hominum classe reperiantur, qui suas ingenii dotes in fidei subsidium, repellendamque hanc incredulitatis pestem vellent convertere; qui seu auctoritate, seu calamo suo, huic tam acriter oppugnato humanae prosperitatis praesidio suppetias ferre officii sui ducerent, aut gloriae suae et dignitatis. Apud exteras nationes surgunt de tempore in tempus, cordati, etiam saeculares viri, qui ingens religionis momentum in imis pectoris sui recessibus persentiscentes, et magnitudinem periculi, e labascente religiosa fide in humanum genus profluentis, condigne aestimantes, omnes mentis suae dotes, omnem virium suarum contentionem, totumque a Deo sibi concessum vitae tempus huic, nobilissimo sane, saluberrimoque fini haud dubitent sacrificare. Nominatim in Gallia, recentissimis temporibus, magnanimi exstiterunt idgenus christianae fidei defensores, praeclarissimis vetustatis apologetis jure comparandi: uti de Maistre, Chateaubriand, Montalembert, Segur, Nicola, aliique bene multi, qui stupendo ingenii acumine, vastissima omnis generis eruditione praediti, totam paene suam vitam admirabili cum perseverantia, edendis in fidei, et Ecclesiae catholicae defensionem operibus consumpserunt. Talia apud nos, inter saeculares presertim viros exempla frustra inquiremus. Contra innumeri omni ex angulo emergunt, qui haud melius de humano genere se mereri posse existimant, quam si procacibus suis sarcasmis, insulsisque facetiis, aut impie et malitiose

concinnatis suis sophismatibus, amplius adhuc subruere possint religiosam fidem popularium suorum; quod et faciunt quam solertissime.

Jam, si quaeratur de proximis causis deplorandae hujus fidei deminutionis, signanter in cultioribus hominum classibus, tamque universalis et rapidi mali progressus: non magno opus est ingenii acumine ad eas detegendas. Quippe e familiis domesticis, distinctioris praesertim classis hominum, magis in dies, magisque evanescit prisca illa pietas christiana, quae tam sollicite olim, quotidianis communis precibus, Evangelii, aliorumque boni spiritus librorum lectione, adcurata divini cultus, et publicarum sacrarum institutionum frequentatione, conscientiosa abstinentiae et jejunii ecclesiastici observatione, solerti denique Sacramentorum participatione, aliisque religiosis actibus alebatur. Itaque filii familias paternos lares passim deserunt, religionis et pietatis spiritu vel omnino expertes, vel adeo tenuiter tincti, ut liberioris mundi afflatus, absque manifesto ejus plane amittendi periculo, non possint sustinere. In scholis, quas mox subeundas habent, religiosus eorum sensus, in regula, parum pariter reperit nutrimenti. Quamvis enim aliquot horularum spatio per hebdomadem, adolescentibus religionis doctrina proponatur: ea tamen haud sufficit ad firmam eorum mentibus cordibusque instillandam fidem; cum praesertim frequentissime destituta sit genuina spiritus unctione, et frigidas quaspiam praeseferat formas, quae nec intellectuali eorum culturae satis respondent, nec inter religionis veritates, ac alias quas ex variis caeterarum disciplinarum generibus hauriunt, cognitiones, necessariam inducere valeant, soleantque harmoniam. Et, quod his etiam pejus est, exigua adhibetur cura, ut religiosa institutio mores penetret juventutis, firmamque totius vitae ejus rationis efficiat normam; cum tamen notum sit veritates religionis tum primum suae respondere sublimi destinationi, si in vitam, ut ajunt, et sangvinem, jugi exercitio convertantur.

Accedit, quod haud convenire genio saeculi nostri plerumque existimetur, ut altiorum scholarum juventus in Universitatibus, aliisque sublimioribus literarum institutis, seu ad excipiendas in placitis christianae fidei praelectiones, seu ad frequentandum divinum cultum, Sacramentorumque participationem attineatur: quasi vero fides et religiosa morum integritas res sit adiaphora, nec contentione digna eorum, qui altiorum occupantur literarum disciplinis. Hoc pacto juventus, ea recte aetatis suae periodo, quae maxime agitari solet passionum fluctibus, religione, id vero est unico tuto, et efficaci virtutis scuto, destituta, corruptae naturae humanae illiciis facile in devia agitur, et non raro in abissum ruit perversitatis. Nec mirum, si in medio ejus, abnormia prorsus, et vere detestanda quandoque emergant, incredulitatis, impietatisque exempla: quale et nuper de Belgio ipsae publicae referebant pagellae. Ubi nimirum pars studiosae juventutis, eo plane prolapsa est procacitatis et audaciae, ut nil pensi duceret palam declarare, se nec Deum credere, nec ullam, praeter propriae suae rationis, imbecillis sane, et miserandis praejudiciorum tenebris obfuscatae, agnoscere auctoritatem. Eventus tales profecto horrore percellere debent cujusvis animum, qui bene cupit humano generi, et periculi, ex iis in futuras generationes profluentis, amplitudinem norit aestimare.

Juvenis subin absque solido religiositatis fundamento scholas egressus, forte etiam eo, quem in paterna domo suscepisset, meliori sensu exutus, civilis vel militaris vitae subit cursum, ubi in societatem passim indicit hominum nihilo se meliorum, non raro etiam deteriorum; ex quorum consvetudine non modo non proficit in melius, sed mergitur profundius. Libros, quibus ingenium, animumque suum excolere posset, omnino non curat, imo omnem cum resensu abjicit, in quo scriptum Jesu Christi Salvatoris conspicit nomen, vel quem ad alendam vitae puritatem, morumque innocentiam tendere animadvertit.

Contra, offendit in scripta, pagellasque periodicas, religiosum indifferentismum spirantes, aut plane inimico erga religionem spiritu animatas; qualibus proh dolor! et privatae et publicae domus, ipsa adeo urbium compita, infelici aevo nostro, plane sunt inundata, et quorum usu, ceu novi generis toxicis, omnes, qui adhuc in mente vel corde ipsius supermansissent, meliores sensus, penitus supprimuntur, aut corrumpuntur. Hoc periculi genus tanto est amplius: quanto certius docet experientia, ad suffocandam, in juvenilibus cumprimis pectoribus, religiosam fidem haud opus esse, ut quis Renanii, aut alterius paris impietatis auctoris, evolvat librum; sed omnino sufficere, ut sibi familiaria reddat nonnulla, ex iis, quae innocua passim censentur, subque classicorum nomenclatione, undique sparsa sunt, literaturae germanicae opera. Nam et ea horum, quae aperte non pandunt inimicum erga religionem spiritum; Indifferentismi velificantur principiis; et eo ipso, quod non sustineant sanctissimos religionis fines, totamque humani generis prosperitatem ad arctos terrestris hujus peregrinationis referant limites, perquam apta sunt supprimendae in lectorum animis vivae christianae fidei, et pietatis instrumenta. Parte ab altera honorum, opum et voluptatum appetitus, velut totidem e faeculento corruptae humanae naturae fonte prorumpentes rapidi viri, agmine quodammodo facto, irruunt in miserum adolescentem, eumque tanto certius agunt in praecipitium, quanto magis destituitur firmo illo, et unico, qui salvare ipsum potuisset aggere, christianae quippe fidei firmitate.

Vel ex his, per summos, ut ita dicam, apices attactis, satis, puto, impatescit, quae sint praecipuae in dies magis increscentis, apud cultiores saltem, de quibus hucdum, imprimis nobis sermo fuit, hominum classes, incredulitatis, junctaeque cum ea morum depravationis causae?

Quod concernit inferiorum categoriarum homines, ipsumque ruralem populum: sint Deo aeternae laudes! apud hos, in nostra saltem patria, incredulitatis, stricte talis, pestis, necdum magnos fecit progressus: ubique enim in massa populi viget adhuc christiana fides, unicum hoc verae nationum prosperitatis palladium. Sed vero, in his quoque classibus, semper rariora fiunt admirabilis illius, quam fides christiana primis Ecclesiae temporibus operata fuit, vitae innocentiae et sanctitatis exempla. Imo dissolutio quaedam, utque ita dicam practicae quaepiam incredulatis species, tristia in dies, in iis quoque, capiunt incrementa. Quippe non tam positiva fidei dogmatum impetitio, aut aperta eorum negatio has produxit in populo nostro strages, quam potius philautiae et crassae sensualitatis magis in dies crescens dominium. Huic certe adscribendum, quod in nonnullis patriae tractibus, conscientiosa illa, solersque antehac Domini ac festis diebus, publici divini cultus frequentatio multum remiserit; quod abominabilis, et christiano nomine tantopere indigna blasphemandi consvetudo, horrendum in modum invaluerit, majoraque adhuc semper capere videatur incrementa; quod ebrietatis vitium miserandas in nonnullis partibus faciat strages; quod ipsa abjecta impudicitiae ac libidinis vitia, antehac casto Croatiae populo paene incognita, non raro ipsas penetrent et misere depopulentnr rusticas popularium nostrorum casas; quod denique, ut taceam caetera, justitiae et proprietatis sanctimoniae adversae praevaricationes, violentiae, furta, et praedocinia tantos, recentioribus his temporibus apud nos fecerint progresus, ut securitas publica non parum sit compromissa. Quae quidem cuncta tristem, in inferioribus etiam populationis classibus arguunt religiosae morum sanctimoniae remissionem.

Exurgit jam, gravissimi sane momenti quaestio: quomodo huic calamitati, per quos, quibusve remediis occurri posse videatur?

Opinione mea, multum saltem in mitigationem mali facere possent bona exempla eorum, qui nativitate, sublimiori ingenii cultura, opibus aut quovis secus excellentiae genere, caeteris eminent in civili societate. Quippe, si, qui ad hanc re-

feruntur classem, non tantum caverent sollicite, ne verbis aut actionibus suis unquam offendiculo sint caeteris, sed et positivo solerti in cultu divino participatione, devoto sacramentorum usu, conscientiosa legum Ecclesiae observatione, secus etiam tota sua vivendi ratione, fidelem populum exemplo suo aedificare contenderent. Semper exempla illustriorum in civitate virorum potentem exeruerunt influxum in corrumpendos aeque, ac emendandos popularium mores. Et non raro unius, auctoritate praecellentis viri, impietas moralis totius commmunitatis ruinae scaturigo fuit.

Magnum porro in levandum, aut deprimendum religioso-moralem hominum statum, influxum semper exeruerunt civiles leges. Sicut felicioribus Ecclesiae temporibus, viva legislatorum fides ac pietas insigni fuit religioni et Ecclesiae utilitati atque adeo praesidio: ita tristissima sane recentiorum temporum docent exempla, quantas legislatores, Deo, fide, et pietate destituti, divino in terris regno inferre possint strages?

Idem asseverari potest, de iis, quae sortes nationum gubernandas habent, personis principalibus, aliisque, vice earum, magistratus publicos gerentibus. Hi certe decisionibus, provisionibus, ac ordinationibus suis, quemadmodum sanis religionis principiis, et fidei christianae rationibus vel congruunt, vel minus favent, aut plane repugnant, salutarem, vel noxium, atque adeo perniciosum exere possunt, solentque in religionem influxum. Signanter immensi, hac in parte, sunt ponderis ordinationes publica scholarum instituta concernentes; quae quidem, si succolandae in juventute christianae fidei, morumque subserviant pietati, salutares Ecclesiae in pubis educatione intentos fines admirabiliter adjuvant; sin, quod, proh dolor, non raro, cumprimis in regnis et provinciis a fide catholica alienis, iis item Statibus catholicis, in quibus irreligiosus aevi spiritus praevaluit, accidisse tristi percepimus experientia, — sin inquam vel damnabili in tanti momenti negotio laborant incuria,

vel plane incredulitati, impietatique alendae lenocinia praebent, deplorandos progenerare solent effectus. Certe tanta ista in magna juventutis parte fervoris fidei refrigeratio, tanta pietatis relaxatio, cujus jam superius mentionem feci, magna parte infelici isti in coordinatione, directioneque scholarum invalescenti genio est adscribenda.

Sed et libri ac ephemeredes, in genere ingens iste preli, temporibus nostris, in mentes cordaque hominum influxus magnam, fere dixissem maximam refrigescentis in dies fidei, increscentisque morum corruptelae habent partem. Quippe in tanta librorum, et publicarum pagellarum inundatione, pauca omnino sunt in nostro quoque imperio, quae christianae, non dicam catholicae fidei faveant principiis; caetera passim apertum praeseferunt indifferentismum religiosum; non pauca manifesta produnt materialismi, rationalismi, aliorum positivae revelationi inimicorum novae philosophiae systematum indicia; nec desunt, imo sunt bene multa, quae apertissimum subvertendae christianae fidei prosequuntur scopum, nunc impetendo sanctissima religionis dogmata, nunc saluberima Ecclesiae praecepta, piosque ritus sannis, et despectui exponendo: nunc sacerdotales dignitates, religiosos ordines, ipsum adeo venerandum Ecclesiae caput indignis sarcasmis vellicando, et calumniis impetendo; nunc denique aliis, quae livori et malevolentiae nunquam deesse solent, cuncta, quae hucdum bonis omnibus venerationi fuerunt, artibus, lacessendo. Malo noscit humanae naturae indolem, qui non perspiciat, licentiosam idgenus procaciam, tantamque malevolae conspirationis audaciam perniciossimos in mentibus, sciolorum praesertim, nec solidis cognitionibus praeditorum, sed nec veras rerum rationes expendere valentium hominum animis exerere debere effectus; imo si idgenus licentia suas impune in longius tempus strages edere permittatur, ingentem morum procreare debere depravationem. Certe, si qui scientiis excolendis operam navant, et literaturae tractant objecta, concessa sibi ab auctore

naturae talenta in defendendam, et confirmandam religiosam fidem, promovendamque morum innocentiam vellent convertere, in vicem ut ea indignis suis artibus impetere pergant et labefactare: egregie mereri possent de humano genere, de ipsa, cui se inservire suis elucubrationibus gloriantur, veri nominis cultura, libertate et fraternitate.

Sed his cunctis plus adhuc conferre potest sacerdotium ad impediendam aut saltem minuendam tristem, de qua nobis sermo est, temporis nostri incredulitatem, junctamque cum ea morum perversitatem. Quippe cuncti caeteri in humana societate status, temporalem solum mortalium felicitatem pro objecto suae activitatis habent; itaque in promovendos sublimes religionis, ac pietatis fines, indirecte tantum, ac quodammodo per accidens possunt concurrere. At vero sacerdos, ex ipsa destinatione sua huic nobilissimo scopo unice paene est consecratus; et potest omnino, adspirante divini numinis gratia, admirabiles procudere suae activitatis fructus, si, prout debet, firmo animatus sit proposito, vocationi suae omnes vires suas, cuncta studia et contentionem, ipsam adeo vitam suam, dum officium poscit, devovendi.

Certe jam vita sacerdotis, cumprimis curae animarum praepositi, si talis sit, qualis esse debet, quippe paradigma vivae fidei, et cunctarum christianarum virtutum, perpetuum quodammodo est speculum fidelium, in quo quales se esse oporteat, clare vident, et ob ipsam status sacerdotis reverentiam, in eorum, quae vident, imitationem, trahuntur potius, quam excitantur. *Validiora*, ait S. Leo Papa, *sunt exempla, quam verba; et plenius opere docetur, quam verbo.*

Potenter porro christianam fidem accendit, fovet, et roborat in mentibus cordibusque hominum sacerdos, immaculatam Deo offerens hostiam, sacramenta administrans, aut secus sacris operans, si vera in Deum pietas ex omni ejus actione, voce, totaque corporis compositione reluceat; si gravitati genuina

juncta sit devotio; si procul ab eo absit turpis et indigna festinatio; si tota oculorum, vultus et habitus conformatio modestiam spiret, charitatem, intimam animae cum Deo et Salvatore conjunctionem.

Sed nec quisquam ignorat, quam potens esse possit, esseque soleat sustentandae in cordibus fidelium fidei, et vitae probitatis medium, verbi divini praedicatio, si iis, quas homiletices regulae praescribunt sit dotibus instructa: nimirum solida, e salutaribus Evangelii scaturiginibus desumpta, aptis sanctorum Patrum sententiis dulcorata. popularis, locorum ac temporum adjunctis accommodata, genuini zeli, mansvetudine temperati, indicia praeseferens, et in qua non vulgaria, et jam centies audita, frigide vel inepte recoquantur, sed quae intellectum convincat, cor salutaribus affectibus repleat, menti utilissimarum veritatum notitiam ingerat, denique sinceram spiritus praeseferat unctionem. Idgenus sacrae dictiones vere sunt gladius, partem in utramque acutus, cujus virtuti non facile resistitur; et cujus efficaciam nec incredulorum procacitas, nec malevolorum perversitas potest evacuare. Sane, si curatori animarum nulla alia, religionis fines promovendi suppeterent media, quam quod fideles suos singulis Domini, festisque diebus coram se habere queat congregatos, possitque eorum mentes sanctissimis fidei veritatibus illuminare, corda purissimis morum placitis enutrire: tuto auderet gloriari, se apliorem nactum esse campum, homines ad Deum vitaeque innocentiam ducendi, quam suppetat quibusvis aliis, in mortalium ingenia moresque influere gestientibus. Nec, quoadusque hoc medium reliquum fuerit, altarium ministri, conqueri jure poterunt, sibi non suppetiisse modos adstruendae propagandaeque religiosae fidei et vitae probitatis.

Non minus amplus imo amplissimus sacerdoti, imprimis sacro curioni, sanctissimos religionis fines sustinendi et promovendi, suppetit modus in sacro poenitentiae tribunali; quod

quidem ipsi a fide catholica alieni non audent inficiari. Res in ipsa fundatur naturae humanae indole, saeculorumque est comprobata experientia. Splendidissimum autem in rem testimonium perhibent recentissimorum temporum populares missiones sacrae, quae admirabiles passim hoc in genere producere solent fructus. Idem fiet semper et ubique, ubi poenitentiae tribunalis administri, hoc suo munere, intentione pura, ferventi cum zelo, vitata deproperatione, invicta cum patientia, mansvetudine et charitate, plenaque cum conscientiae teneritudine, fuerint defuncti.

Sed quantum curio sacer in mentes cordaque fidelium suorum, intuitu solidandae religiosae fidei, et sanctimoniae morum, habere possit influxum, vel inde impatescit, quod vi muneris et vocationis suae, ad tenendam continuo in medio ipsorum residentiam obligatus, innumeras nanciscatur occasiones, suum zelum exerendi. Quippe si curius sit ovilis, suae fidei crediti, pastor, probeque norit, quid vigilantiae pastoralis abs se officium deposcat: mox ita cognoscit gregem suum, ut singulas etiam oviculas suas nominatim possit educere, sciat proinde et apta pro singularum indigentiis adhibere et abusuum medicamina, et moralis perfectionis incitamenta. Si observet hunc aut illum fidelium suorum, perversi cujuspiam libri lectione, vacillantem esse redditum quoad dogmata fidei: potest oborta in mente ipsius dubia, solidis in obversum adductis argumentis refellere, eumque a perniciosorum librorum aut pagellarum versatione retrahere, substituendo vel commendando alias bonae notae ac religiosi spiritus literarias elucubrationes. Potest moestos e quocunque infelici eventu animos erigere, ignorantes edocere, a veritatis et virtutis via aberrantes, paterna cohortatione sua, ad rectum tramitem reducere; in acediam inclinantibus novos stimulos subjicere; quoquomodo turbatam in familiis harmoniam restabilire; periculosas peccandi occasiones rescindere; verbo omnibus omnia fieri, ut omnes lucrifaciat.

Sunt etiam alia, quae salutem animarum suae fidei creditarum, sitienti sacro curioni, ad solidandam fidem, alendamque religiosae pietatis flammam suppetunt media. Missis caeteris, saltem pias cordis Jesu et immaculatae Virginis, pueritiae Jesu, quaevo hujus generis recentioribus temporibus iterum invaluerunt sodalitates volo memorare. Certe sodalitates idmodi multum ad religiosae vitae conferre possunt, ac reapse etiam, ubi ardenti Pastoris zelo succolantur, conferunt incrementa.

Sed nullus est campus, in quo Curator animarum uberius, salubriusque possit operari, quam scholarum et catechesium institutum; quod vel inde impatescit, quod religionis veraeque humanae culturae inimici, nil cum intensiore agant diligentia, quam ut scholae separentur ab Ecclesia, et Sacerdotii subtrahantur influxui; quod si ipsis, pro summo humani generis infortunio succederet, ingens, ac irreparabile religioni se intulisse vulnus merito possent gloriari. Tenera quippe juventutis corda bonas aeque, ac malas impressiones, incredibili quadam cum facilitate recipiunt, et quemadmodum testa, quo semel, juxta vetus proverbium, imbuta est, odorem servat diu: sic et juvenilia corda primas quas receperunt impressiones, passim in provecta adhuc custodiunt aetate sic, ut si ea etiam subin a virtutis tramite deflectere contingat, passim tamen ad ea, quae in juventute hauserunt, principia revertantur. Cui itaque sacerdoti fides et morum sanctimonia cordi est, praecipuas suas curas juventuti, verae fidei, veraeque virtutis sensibus imbuendae consecrabit; quod apud nos eo fieri potest facilius, atque fructuosius, quod adusque scholarum popularium directio et inspectio Parocho et V. A. Diaconis commissa maneat, non obstantibus, quas religionis inimici undique in obversum cudunt, machinationibus.

Venerabiles fratres, et filii dilectissimi! Siquidem nobilissimis, ut vel ex adductis patet, instructi simus armis ad defendendos muros Jerusalem, civitatis sanctae Dei, quae est uni-

cum humanae prosperitatis munimentum; et siquidem videamus parte ab altera, hoc nostrae fidei creditum praesidium, temporibus nostris, per innumeros hostes, et acrius quam unquam antehac impugnari: an non generose excutiemus omnem somnolentiae speciem; an non diurna, nocturnaque vigilantia, et omni virium nostrarum intensione enitemur, ut tam sublimi destinationi nostrae quam perfectissime respondeamus? Erant saecula, quibus sacerdotium minus opus habere videbatur tam energica, in executione muneris sui, virium adstrictione: quando nimirum, penes quasvis a recto tramite aberrationes, fidei christianae compages firma consistebat, nec aperta impetebatur fronte. Infaustis temporibus nostris, ipsa fidei fundamenta incredibili quodam furore et audacia, ac exquisitissimis quibusvis stratagematibus oppugnantur; quae si succederet convellere: misere omnino corrueret ipsa iis superaedificata strues temporaneae aeque, ac aeternae prosperitatis humani generis. Macti igitur animo, unus quisque nostrum eo, quem divina providentia ipsi assignavit loco, caducis quibusvis insuper habitis finibus, omnes curas cunctaque studia nostra eo convertamus, quo nos invitat, imo potenter impellit sacrosancta vocatio nostra; nec omnino committamus, ut cujuscunque teporis, remissionis, aut incuriae nos arguere possit conscientia nostra.

Spero, fratres filiique dilectissimi, vos haud mihi succensuros, quod, posteaquam vos tot jam vicibus, ad partes sacerdotalis, pastoralisque muneris vestri irremissa cum diligentia, ardentique cum fervore obeundas, fui cohortatus, hac quoque vice reversus sim in idipsum. Jam non multa loquar vobiscum, dilectissimi! magis enim in singulos paene menses, sentio pondus septuaginta octo, humeros meos prementium aetatis annorum. Repetita paterna hortamenta, nec vobis obesse possunt, et meam, intuitu stricti, quod post paulo coram divino tribunali subeundum habebo, judiciii, sollicitudinem haud parum alleviant. Sed et bona hac in parte consilia imprimis congruunt

sacrae quadragesimae tempori, quo, ut ait S. Leo Papa, *omnium mentes majori studio ad spirituales profectus moveri, et ampliori fiducia oportet animari*; sacro inquam quadragesimae tempori, quo praecipue se exerere debet activitas sacerdotalis: utpote cum sit tempus peculiari ratione sanctificationi animarum destinatum; tempus et laborum spiritualium, et, si rite in suos fines impendatur, messis quam abundantissimae.

Caeterum intuitu legis jejunii et abstinentiae, modique et mensurae impertiendae in ea dispensationis, hoc quoque anno, iis existimabam insistendum, quae proxime evolutis annis constitui. Sed impensius iterum vos oro, ut nullam missam faciatis occasionem, de summo ecclesiastici jejunii momento, ac insigni prorsus ejus, intuitu alendae in nobis fidei, pietatis, morumque innocentiae, utilitate, fideles congrue edocendi; utque concessae vobis dispensationis facultate, nequaquam in majorem adhuc subruitionem, nimium caeteroquin jam laxatae, sacrosanctae hujus disciplinae, sed in tutamentum teneriorum conscientiarum, et fragilitatis humanae subsidium uti contendatis.

Non possum concludere epistolam meam, quin mentionem faciam tristium, et in dies magis ingravescentium adjunctorum, in quibus constituitur Summus Pontifex noster, caput Ecclesiae Pius Papa IX. Quemadmodum Boa constrictor, ex arbore se dejiciens supra victimam suam, hanc non uno morsu enecat, sed lente suffocat sua corporis circumvolutione: sic religionis, et sedis pontificiae inimici, hanc magis magisque coangustant, et temporalibus suis subsidiis exuere pergunt; ut ea mediorum, ad tuendam sublimem dignitatem suam necessariorum, defectu contabescat. Posteaquam quatuor quintas Status pontificii, sacrilego ausu, et latronum instar, violenter, adhibitis quoque turpissimis astutiae artibus, in suam redegerunt potestatem, eo potissimum enituntur, ut venerandum Ecclesiae caput etiam residuis, sane quam tenuibus exuant reditibus; probe scientes, idem, tot Congregationum et dicasteriorum, tot basilicarum, ac

infinitorum propemodum Institutorum onere gravatum; necessarii praeterea militis intertentione, eleemosynarum largitionibus plurimisque aliis impendiis obnoxium, sine agendorum nervo, non posse diu subsistere sed proprio quodammodo pondere collabi debere, si impium hoc systema, vel aliquo adhuc tempore ipsis successerit continuare. Verum quidem est, praeclaros Catholicos Belgii, Galliae, ipsius etiam Italiae, notabilibus, imo generosissimis subsidiis his Sanctissimi Patris indigentiis, plurium jam annorum decursu subvenisse, actuque subvenire. Sed piae hae, omnique laude dignissimae eleemosynae, tantis pontificiae sedis necessitatibus ne a longe quidem sufficiunt; ut adeo ea novis semper se cogatur alieni aeris debitis involvere, et de praesenti, nec hujus tristis remedii usum faciendi, ei amplius modus videatur suppetere.

Itaque ad vestrum iterum, fratres, et filii dilectissimi, me converto catholicum sensum, et filialem erga patrem, ac Summum Pontificem vestrum pietatem; vosque fiducialiter interpello, ut et aptis ad concionem sermonibus, et privatis opulentiorum praesertim personarum provocationibus, sed et aliis congruis modis, largiora in hunc finem subsidia colligere, ipsi quoque e propria, quantumvis tenui, penu, quotannis, symbolam aliquam conferre haud gravemini. Quis est filius, pietatis erga suum patrem sensu animatus, qui, si hunc in necessitate videat constitutum, non gestiat ei tum fatigiis, et diligentia sua, tum et materialibus succurrere sacrificiis? Imo scimus fuisse, nec paucos, dari et nunc filios, tenero erga genitores suos affectu aestuantes, qui prompte subtrahunt non commoditati tantum, sed et ori suo bene multa, ut quoquo modo eorum opitulari possint indigentiae. Sed et, gravia quantumvis vivamus temtempora: vix tamen in ipso rurali populo reperitur pauper adeo, ipsis quoque mendicis huc intellectis, ut penes bonam voluntatem, non possit in nobilem adeo finem, quidpiam, unum exempli causa menstrue conferre cruciferum; quod si major saltem pars

faceret Catholicorum, per universum mundum sparsorum: tectae essent indigentiae Sancti Patris nostri, salva capitis Ecclesiae dignitas, elusa vafra inimicorum ejus malitia, et, quod summum est, evanesceret metus qui de intercipiendo ordinato Ecclesiae catholicae regimine, tam acerbe exercet bonorum omnium corda fidelium. Agite itaque fratres dilectissimi, et vos genuinos esse summi Pontificis et Patris vestri filios demonstrate. Hac certo contentione nostra eo est dignior idem sanctissimus Pater noster, quo indignius has patitur angustias, quove nobilior est causa, ob quam istas sustinet calamitates. Nisi enim tantopere cordi ipsi esset tuitio libertatis, et independentiae sublimis dignitatis, atque adeo totius, cujus regimini immortali cum gloria praeest, Ecclesiae: dudum reperisset modum, non tantum tegendi indigentias suas, sed et farciendi aeraria sua. Tales modos humana astutia iteratis jam vicibus ei propinavit; sed vero generosus ejus, et conservandi, divinitus suis manibus crediti, thesauri studiosus animus, istaque ejus frangi nescia apostolica constantia, determinate semper rejecit cuncta vilium artium tentamina.

De caetero fratres, filiique charissimi, *confortamini in Domino, et in potentia virtutis ejus. Accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare*; ut possitis cum fiducia dicere aliquando cum Apostolo gentium: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi; fidem servavi; reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.* Amen. Datum Zagrabiae Dominica Septuagesimae, in 28. mensis Januarii incidente, anno Domini 1866.

Georgius Cardinalis Archi-Episc.

VIII.

Literae pastorales,

OCCASIONE EXORTI CUM REGIBUS SARDINIAE ET BORUSSIAE BELLI.

Venerabiles fratres, dilecti filii!

Sat longo tempore ambiguos spem inter et metum viximus dies; nescientes, num tanti isti, in tota paene Europa concitati passionum humanarum et politicarum agitationum fluctus, componi adhuc possint, vel in pugnas bellaque, quorum prodromus esse solent, sint degeneraturi? Quemadmodum alta aestate, assurgentes ex oppositis horisontis plagis atrae nubes, jam dissolvi videntur, jam condensari, minaciusque invicem copulari, donec tandem obducto coelo, terrificam inducant tempestatem: sic et istae mutuae guberniorum nationumque impetitiones, ac magis in dies crescentes inimicales aemulationes in apertum denique eruperunt bellum, et quidem tam acre, tantaeque dimensionis, ut nec extensionem ejus aut durabilitatem, nec subsecuturos effectus humana prudentia vel probabili aliqua assequi possit conjectura. Quod eo nos afficere debet acerbius, quod recte Imperium austriacum sit illud metae objectum, in quod omnes paene inimici istius furoris aestus diriguntur; ut adeo vere dici possit, irae, livoris, mendacii et calumniae, omnium denique ignobilium, peccaminosarumque passionum furias, agmine facto, in perniciem nostrae conspirasse monarchiae.

Quippe in meridie, eadem illa potentia, quae alios vetustate sua venerabiles evertit thronos, quae haud piaculo sibi duxit, ipsum summum Pontificem, Christi in terris Vicarium, totisque christiani orbis spirituale caput, injuriis omnis generis lacessere, maximaque possessorii, qua mille annorum defluxu, optimo jure fruebatur, parte, fallacibus partim artibus, aperta partim, ac vere sacrilega vi spoliare; illa inquam potentia, quae non cessat leges fidei et Ecclesiae Catholicae placitis repugnantes condere, sanctissimos Praesules sedibus suis deturbare, squalidis carceribus mancipare, exiliis, aliisque acerbissimis poenis afficere; quae recentissime in ditionibus usurpatorio ausu suae potestati subjectis, omnes saecularis aeque ac regularis Ordinis Congregationes uno calami tractu abolevit, proprietatem ipsorum, maxima in parte e pia fidelium liberalitate compositam, in fiscum suum redegit, nec abhorret claustra, domosque, in quibus Deo dicatae virgines, pietatis et christianae caritatis operibus vacabant, in abominanda publicae prostitutionis delubra convertere; ea denique potentia, quae jam paucos ante annos, Austriae, sacro affinitatis vinculo sibi junctae Dinastiae inque summis rerum suarum internarum convulsionibus constitutae, iniquissimum, nec ullo vel colorato titulo legitimatum bellum intulit; — haec inquam potentia postremo tempore eum plane attigit impudentis arrogantiae gradum, ut, potentissimi sui patroni protectioni confidens, non dubitaret palam enunciare, se haud quieturam, antequam sedem pontificiam et iis, quae ipsi adhuc supersunt, vitae degendae subsidiis, exuerit, ipsaque capitali totius christianitatis sede, urbe quippe Roma depulerit, una imperio austriaco, ultimam, quam adhuc in Italia jure tenet provinciam eripuerit. Quo fine etiam ingentes congessit vires militares, haud repudiatis apertis depravatorum moralium politicorumque principiorum sectatoribus, ipso Garibaldio in suum adscito consortium.

Et vero incredibilis idgenus ausus sui nullum aliud as-

signare scit fundamentum violenta eadem, omnesque divinas et humanas leges pedibus proconculcans potentia, quam quod suam agendi rationem nationalitatis et unitatis Italiae deposcat principium.

Sed facile intelligitur, adoptato hoc in Europa principio, cunctas divinas aeque ac humanas leges suo exutum iri vigore, omnes genuinos justitiae et proprietatis conceptus everti, ac societatem humanam immensarum exponi debere convulsionum periculis, nec ullam amplius in hoc mundo subsistere posse rerum stabilitatem.

Similia prosus sunt, quas alia notabilis potentia in Septemtrione, regnum quippe Borussiae adoptavit axiomata. Ipsa quippe palam agnovit, sibi in eos, quos communibus nobiscum occupavit armis Ducatus, non plus competere juris, quam competat Imperatori Austriae; et tamen Austriam omni, vi armorum aquisito in eosdem Ducatus jure voluit exuere. Imo in eum idem regimen Borussicum ascendit insolentis audaciae gradum, ut Imperatorem Austriae e foedere germanico propudiose vellet exclusum. Et quia eum, qui semel modestiae migravit limites, bene et gnaviter, ut ait Cicero, oportet esse impudentem, eo plane processit temeritatis, ut, quia longe ampliorem foederis germanici partem iniquis suis videret resistere postulatis, ipsum hoc, consentiente totius Europae auctoritate constitutum, proque adserendo hujus aequilibrio inomisse necessarium foedus, pro abolito declararet. Scimus Borussiae Principem, nuper adhuc annorum, miserum fuisse Brandeburgicum Electorem, ac nonnisi iniquis occupationibus, verique nominis rapinis ad eum, in quo actu constituitur eluctatum esse potentiae gradum. Solo hoc obtutu summam aequo cuivis animo ingerere debet indignationem ista ipsius inaudita ambitio, impertinenti audaciae juncta, qua prooedriam affectat prae Austriae Imperatore, imo hunc e germanico foedere propudiose vult exterminare; Imperatorem inquam Austriae, antiquissimum domus Habsburgico-

Lotharingicae principem, cujus gloriosi antenati a Carolo Magno primum orbis terrarum Imperium, haereditate acquisiverunt, ac saeculorum defluxu primas in Germania tenuerunt, partes praecipuae semper dignitatis thronum occupando.

Insignis suae impudentiae eo etiam egregium idem Borussiae gubernium edidit specimen, quod pertinaciter auderet affirmare, per Austriam minas belli sibi fuisse intentatas, nec nisi ob imminens sibi ab ejus aggressionibus periculum, se ad instituendos militares apparatus fuisse determinatum. Patulae enim est evidentiae, Austriam nullis inhiare acquisitionibus, sed nec unquam palmam terrae a quoquam, minime a Borussiae regno postulasse. Et huic vere impudenti suae asseverationi nunc quoque insistit gubernium Borussicum, postquam non modo religiosus Princeps noster absolutam eidem opposuit negationem, sed totius Germaniae, imo cunctarum etiam exterarum nationum, ipsorum adeo veritatis sensu necdum exutorum Borrussorum positiva in contrarium eluxit persvasio.

Haec, et sic dicti Italiae regis, et regis Borussiae audacia, imo, ut vero nomine rem compellem, petulantia, vix unquam, eum, in quem pervenit, adsecuta fuisset gradum, nisi se succolatum iri confiderent potentia illius, qui Gallici imperii actu manibus tenet gubernacula, quive seu insigni proprii sui ingenii sagacitate, seu peculiari rerum et eventuum favore, seu denique caeterarum magnarum Potentiarum indulgentia et nimia fortasse lenitate, tale in Europa acquirere novit, actuque exercet authoritatis praepondium, ut omnino nationum, regnorumque sortes ab ejus praesertim nutu pendere videantur. Idem quippe praepotens Gallorum Imperator rite perspiciens, subditam sibi nationem, quam patitur libertatis jacturam haud diu toleraturam, nisi per novas provinciarum adjectiones ejus gloriae studio pabulum de tempore in tempus praebeatur, sic continuo suae politicae dirigit indagines, ut nunquam careat, instituendarum acquisitionum titulis; quales acquisitiones utique

maxime possunt succedere, si vicinae potentiae se mutuis invicem lacessant bellis, quae passim novas deposcunt limitum possessorii circumscriptiones.

Sed probe etiam novit idem vir praepotens, thronum suum non legitimitatis principio, sed quem subtilibus suis artibus provocare scivit, suffragio populari superstrui; nil itaque intensiori agit conatu, quam ut vigenti adhuc in Europa legitimae principum successionis systemati, quo fieri potest, frequentiora profundioraque vulnera infligantur. Plane enim perscipit, se, suamque familiam sic solum Galliae throno diutius immanere posse, si evanuerit e mentibus memoriisque hominum principium legitimitatis. Et siquidem non ignorat inter thronos actu subsistentes, nullum esse magis legitimum, quam sint throni Summi Pontificatus et Imperii Austriaci: nisus ejus potissimum in horum tendunt labefactationem. Est hoc prorsus in corruptae humanae naturae situm indole. Quemadmodum enim hominis, minus rigorosae vitae rationes consectantis, aut plane dissolutorum morum, oculos nil afficit sensibilius, quam conspectus severioris solidiorisque virtutis: sic, qui vere legitimo destitutus titulo, sublimem occupat potentiae locum, quidquid aliud aequiori fert animo, quam regnantes legitimitatis scuto protectos.

Hinc etiam intelligitur, quid sibi velit famosum illud axioma, quod barbaro *noninterventionis* compellare solent vocabulo. Non est hoc alio scopo excogitatum, quam ut expeditius procedi possit ad convellenda jura, antiquitatis praesidio fulta, aut secus bonis artibus acquisita: utque violentis, et rei alienae avidis novatoribus optati suppetant modi, legitimos possessores suis exuendi iuribus, ac avita proprietate. Patet hoc ex ipsa, quae usuvenit, ejus principii applicatione. Quippe, si de sede pontificia, aut aliorum legitimorum principum thronis adversus furorem rebellium subditorum, vel adversus exterorum iniquas agressiones praedociniaque defendendis agatur: perfricta

fronte noninterventionis opponitur principium: quasi vero non praeciperetur lege Evangelii, ipsa justitia et aequitate naturali, adesse consilio et opera proximo, iniqua latronum cupiditate impetito. Sed quantum insit huic principio iniquitatis, vel inde satis intelligitur, quod auctores ejus usum ipsius sibi instar privilegii cujuspiam pergant vindicare, aliis autem secus sentientibus controvertant. Sibi licitum esse volunt, aperta etiam vi intervenire, ubi agitur de relaxando vigore, usu et vetustate sacratarum institutionum, de inducendis religioni et morum innocentiae adversis systematibus, de stabiliendis, propagandisque liberorum murariorum, ac aliarum humano generi perniciosarum sectarum dogmatibus et consociationibus, de evertendis thronis, et constitutionibus saeculorum usu firmatis. At vero, si quis interventu suo opitulari vellet summo Ecclesiae capiti, sacrilegis impiorum assultibus impetito; si quis perniciosis perversorum hominum obsistere vellet novationibus; si conservando in rebus publicis ordini, publicaeque securitati suam quis commodare vellet charitativam operam: impudice opponunt noninterventionis principium; quasi vero actionum humanarum principia non omnibus esse debeant communia, sed ad fortiorum pertincant proprietatem.

Idem dici potest de altero illo, famoso pariter suffragii universalis axiomate, quod supremi instar ac inviolabilis dogmatis, legitimitatis substitui intenditur principio. Quantopere adoptatio hujus principii, praesertim si vim generalis obtineret cynosurae, periculosum foret tranquillitati populorum publicaeque felicitati generis humani; non opus est multis demonstrare, cum id ipsa humanae naturae indoles cuivis, veras rerum rationes expendere scienti, clare indigitet, ac ipsa etiam omnium temporum experiëntia comprobetur. Quod quidem eo est indubitatius, quo certius constat, nulla in re alia ampliorem circumventionibus, subornationibus, ipsis adeo fraudibus locum suppetere, quam suppetat in popularibus votorum collectionibus;

quo item magis notum est omnibus, regnanti factioni et dominanti summe etiam illegitimae auctoritati infinitos suppetere modos, electiones tales sic dirigendi, ut penes ingentem etiam aliter sentientium majoritatem, eae communem nationis sensum videantur exprimere. Qua in re sufficit animum reflectere ad istas, recentioribus temporibus, in Italia locum sortitas electiones, quae, licet vix decimae quandoque partis populi votis responderent, tamen pro majoritatis, imo unanimitatis populi suffragio sunt declaratae.

His prae oculis habitis, facile concipitur, quomodo reperiri possint, in summis etiam subselliis constituti homines, qui suam profiteantur aversionem erga pacta publica, illa quoque, quae totius Europae consensu, ad inducendum stabilem inter nationes correlationis ordinem, asserendamque communem tranquillitatem et pacem, coaluerunt; facile concipitur quod inveniantur ipsos inter regnantes Principes, qui eadem pacta conventa se abominari publice ausint profiteri; quamquam negare haud possint, eadem, inde a dimidio saeculo internationalium quorumvis in Europa jurium fundamentum constituere; quo succusso vix quidquam amplius tuto pede possit consistere.

Perversivis, quae paucis adusque recensui, placitis nunquam favit Augusta Domus Austriaca, imo ea semper, et verbis et operibus est detestata. Nunquam illa violentis, aut illegalibus actionibus ditari, vel potentiam suam augere nisa est, nec aliena unquam intervertere vel violare voluit jura, contenta iis, quae honestis acquisivit artibus. Sed vero ea, quae divina ei assignavit providentia, strenue servare, pro incumbente sibi munere conatur, nec integrum sibi esse existimat, seu dignitatem coronae suae vili in ambitiosa invidorum desideria condescensione compromittere, seu suam a gloriosis majoribus acceptam haereditatem aviditati aliorum immolare. Contra, quicunque veras rerum expendere norit rationes, fateatur est necesse, et unum et alterum memoratorum inimicorum Imperii nostri, nonnisi superbiae, ambitionis ac iniquae habendi cupidinis stimulis excitatos, ad infesta haec ei inferenda arma fuisse determinatos, usos speciosis quidem, sed qui nec coram aequo qualicunque humano, minus coram divino subsistere possint judicio, praetextibus. Quod quippe aeternis justitiae legibus repugnat, nunquam seu e nationalitatis, seu e propiae utilitatis rationibus desumtis legitimari, aut vel excusari potest coloribus.

Haec adeo certa sunt et manifesta, ut dici cum veritate possit, nunquam exstitisse iniquius respectu agressoris, justius respectu armis impetiti bellum, quam sit praesens hoc superba regis Borussiae ambitione, juncto turpi cum impio Italiae usurpatore foedere, Austriae intentatum; quod quidem boni omnes omnium nationum homines, quorum quippe acies mentis necdum est passionum nebulis obfuscata, agnoscunt imo palam profitentur. Et haec recte tam patula causae nostrae jnstitia fiduciam in nobis felicis ejus exitus spem alere potest debetque. Tanta enim, ut quidam veterum aiebat sapientum, est vis veritatis, ut contra hominum ingenia, calliditatem, solertiam, contraque fictas omnium insidias se per se ipsam defendat. Et justitia premi quidem aliquo tempore potest, supprimi non potest. Nam *benedictio Dei in mercedem justi festinat*, ut ait Scriptura. *Si sequaris justitiam*, legimus in Ecclesiaste, *aprehendis illam, et indues quasi poderem honoris, et inhabitabis cum ea, et proteget te in sempiternum, et in die agnitionis invenies firmamentum.*

Neque tamen haec fiducia propriae nostrae limites ponere debet activitati. Imo eo solertius verbis, operibus, sacrificiisque contendamus oportet, ut suum veritati et causae bonae obtingat praemium, mendacium et iniquitas confundatur. Tanto vero magis, quanto apertius id propriae quoque utilitatis nostrae deposcunt rationes.

Quisque nimirum perspicere debet, singularum Monarchiae provinciarum prosperitatem a deplorandi hujus belli exitu dependere.

Sed valet id imprimis relato ad patriam nostram. Nimis enim obtusi ingenii sit oportet, qui non perspiciat, Croatiam, quemadmodum hucdum sub aquilae austriacae alis tantum tutum reperire potuit refugium: sic et in posterum nonnisi salvo totius imperii honore, dignitate, robore, sua perfrui posse autonomia, nationali gloria, et avita sua constitutionali libertate. Unde suapte consequitur, nos, quamcunque differentes sint inter nos de interna patriae coordinatione opiniones, hoc decretorio momento, in unicum procurandae communis Monarchiae salutis finem conferre debere cuncta studia, omnemque contentionem nostram.

Sed est insuper et aliud rei momentum, quod magnum nobis indere debet calcar activitatis. Intelligo rationes sacrosanctae fidei et Ecclesiae nostrae. Scimus nimirum, religiosissimum nostrum Principem, pro sua a gloriosis Majoribus hausta pietate, firmissimum ac paene dixerim, unicum saeculares inter potentias esse Ecclesiae nostrae praesidium. Scimus e converso, quam infenso hostes nostri erga eam sint spiritu animati, qui non jam amplius indifferentismi aut occulti livoris et odii se contineri sinunt indaginibus, sed in apertas erumpunt hostilitates, verique nominis persecutiones. Quid fieret, si imperium Austriacum, iniquis hostium suorum succumbere contingeret machinationibus?

Agite itaque, fratres, ac filii dilectissimi, et quidquid in sua unusquisque Vestrum sphaera exhortationis verbis non minus, ac factis, propriisque sacrificiis, in succolandum vere pium, ac salutarem hunc finem conferre potest, impigre ardentique cum zelo impendite, memores etiam inconcussae illius, quam antenati vestri legitimis principibus suis, nullo non tempore exhibuerunt fidelitatis, imo tenerae dilectionis et studii promptissimi.

Sed quoniam cuncti conatus nostri absque benedictione et gratia illius, a cujus nutu sortes dependent nationum, irriti sunt et inanes: piis imprimis ac assiduis precibus supremi Numinis imploremus clementiam: ipsum enim est, quod eruere nos possit de manibus inimicorum nostrorum. Beatos nos, si Dominus Deus noster auxiliator fuerit noster, et pugnaverit pro nobis. Oremus piis suspiriis, elevantes manus mundas, nec relaxantes brachia, antequam supremus idem coeli ac terrae Dominus, exaudiens preces nostras, ambitiosam hostium nostrorum compresserit superbiam. Oremus signanter pro pio vereque apostolico Rege nostro, ut Pater coelestis exstingvat tandem quae eum inde a primo, quo avitum suum conscenderat thronum, momento, non cessant exercere acerbas tempestates, detque ei gratiam, ut in protectione fidelium populorum antiqua brachii divini operari queat miracula, ac superatis pacis inimicis, et ipse dies agere queat beata pace tranquillos, et sub scuto potentis ejus brachii ingens populorum ejus numerus, secura supremo Numini servire queat libertate.

Quia vero dignum et justum est, ut fidelis populus precibus nostris suas conjungat postulationes: hisce in virtute sanctae, ac salutaris obedientiae praecipio: ut in singulis parochialibus et religiosorum Institutorum Ecclesiis, proximo quo fieri potuerit, ab his perceptis, dominico die, populus de praesentibus literarum mearum tenoribus, omni cum prudentia pastorali, ac modo ejus captui accommodo, edoceatur, subnexis congruis adhortationibus. Tum vero ut praestituto alio, sed quo licet proximiore, dominico pariter aut festo die, ex parochiali vel claustrali ecclesia solennis Processio supplicatoria, ad aliam e vicinioribus ecclesiis vel Capellis, aut, in talium defectu, ad Sancti alicujus statuam deducatur, adhibitis consvetis, vel congruis secus precibus, aperte recitandis. Porro durante bello, singulis Domini et festis diebus, post sacrum conventuale aut diurnum, coram Sanctissimo in ciborio exposito, per officiantem sacerdotem, quemadmodum et hucdum factum fuit, sed distincte omnino, omnique cum pietate, recitentur tria *Pater*, et totidem *Ave*, subjuncta Oratione in Missali contenta: *Deus quis conte-*

ris bella etc., cui subjungenda erit Oratio hucdum praescripta pro Papa, *Deus omnium fidilium* etc. Quibus terminatis praemissa incensatione, Sanctissimo benedictio populo impertietur.

Ceterum *gratia Domini nostri Jesu Christi, et Charitas Dei, et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Amen.* Datum Zagrabiae die 21. mensis Junii anno reparatae salutis 1866.

Georgius Cardinalis Archi-Episcopus.

PARS II.

CONTINENS

DICTIONES SACRAS

AB ANNO 1863, USQUE 1866. IN ECCLESIA METROPOLITANA ZAGRABIENSI, HABITAS.

Na Božić 1863.

Hodie natus est vobis Salvator, qui est Christus Dominus.

Danas vam se rodi Spasitelj, koj je Kristus Gospodin.

Tečajem dvadeset i pet godinah, odkako providnostju božjom sědim na biskupskoj ovoj stolici, svakog lěta — u koliko nebijah silno preprěčen — slavio sam presveti taj dan narodjenja Spasitelja i Gospodina našega Jezusa Kristusa u ovoj, već radi starine svoje častnoj stolnoj cèrkvi, zajedno s Vami, preljubljene duše kèrstjanske! Svaki krat, u koliko mi dopustiše slabašne sile moje, nastojao sam, da Vas osvědočim, da je dan narodjenja preblagoga Spasitelja našega, za svekoliko čověčanstvo bio od veće sreće, nego ikoj drugi dan kroz sve věkove tja od postanka světa. Jer na taj dan rodio se On, koj s neizgovorne prama nam ljubavi, nas kèrvju svojom pomiri sa pravicom božanskom; koj nas iz sužanjstva grěha izpjelà na slobodu sinovah božjih; koj iz nas krivcah věčnoga prokletstva, učini baštinici věčnoga blaženstva. — Rodi se On, koj razsvětiv' um čověčji objavljenjem uzvišenih i za nas vèrlo važnih istinah, razpèrši mèrku tminu neznanstva, — pravedno s toga prozvan světlom světa razsvětjujućem svakoga čověka, koj dolazi na ovaj svět. — Rodi se On, koj najuspěšnija ustanovi srědstva krěposti, kao isto toliko spasonosnih vrělah milosti božje, s kojih cèrpeć pomoć, mogli bismo se spasiti.

To su doista prevažna dobročinstva za čověčansko pokolěnje; jer uslěd njih može svaki čověk — samo ako ozbiljno

hoće, postići vèčnu sreću svoju, radi koje baš je i stvoren, i u kojoj se stiče svih nas poslědnja svèrha.

Ali nauk Spasiteljev, i srědstva za naše posvetjenje po njem ustanovljena, imadu još posebno to svojstvo, što nas pomažu u postignutju vremenite takodjer sreće naše. — Tako, da čim voljnije i stalnije ljudi prionu uz presveti nauk njegov, čim se točnije dèrže njegovih svetih zapovědih: tim obično sretniji bivaju već na ovom světu.

Pa o toj istini nakanio sam danas govoriti, drage duše kèrstjanske! Mislim pako, da ćete se o njoj posve uputiti, čim upoznate, da najveća ona zla, s kojih svět obično strada, ponajviše dolaze odtuda, što su ljudi zabacili, ili bar slabo uzčuvali věru, koju nam s neba donesè došavši danas na svět Spasitelj naš, — što su od spasonosnih zapovědih njegovih odstupili, a i sad odstupljuju, povadjajući se svakojakimi stranputicami. Pa to je baš ono, što sam nakanio danas dokazati, u koliko mi bude kratkoća vremena dopustila. Nadam se, da će novorodjeni Spasitelj naš Jezus Kristus doskočiti mi milostju svojom, da na veću njegovu slavu, a na duševno okrěpljenje Vaše, shodno progovorim, ako samo budete rěči moje dobrovoljno i stèrpljivo slušali; što vas pouzdano i molim.

Rekao sam, da najveća zla, s kojih stradamo na ovom světu, ponajviše dolaze odtuda, što ljudi ili neprimaju, ili primljenu věru u Isukèrsta opet zabace iz sèrca i pameti svoje, te odstupivši od spasonosnih njegovih zapovědih, tumaraju kojekuda. O tom ćemo se najbolje moći uvěriti, drage duše kèrstjanske, ako stanemo pobliže motriti ista ona zla i nevolje, koje nas tište.

Jedno od najvećih zalah, što muče pokolěnje čověčansko, jest bez dvojbe neprestani boj izmedju narodah. Neima skoro novinah, koje nebi bile pune prežalostnih izvěstjah o prolive-

noj kèrvi čověčjoj; o bojevih i bitkah, u kojih na stotine, dà na hiljade, većom stranom još mladih i zdravih ljudih gubi život, a još više njih postaju osakatjeni, ili tako izranjeni, da će kroz sav ostali život svoj tèrpiti bóli, a mnogi ljutim ranam podleći. Ah! koliko siromašnih materah u ovakovih okrutnih borbah izgubi, a i u taj čas gube sinove, u koje su stavile bile svu nádu starosti svoje; koliko suprugah tužno plače iza drugovah svojih; koliko vérenicah uzdiše za zarućniki; koliko sestrah za bratjom; koliko prijateljah za prijatelji svojimi? koliko obiteljih někoč bogatih, uslied ratovanja izgubiše sva dobra, sve vlastničtvo svoje, te spadoše na prosjački štap! Koliko ih je prisiljeno ostaviti otaćbinu, te u stranih dèržavah tražiti utočište, stradajuć na svih udobnostih života? Koliko selah, tèrgovištah, gradovah nestanè usléd vatre i mača ljutih neprijateljskih četah? — Pa stanemo li iztraživati glavni uzrok svih ovakovih nesgodah, to nećemo naći drugi, nego da su ljudi, poglavito pako oni, u čijih je rukuh postavljena sudbina narodah, zabacili, ili zanemarili nauk Spasiteljev. Jer kad bi taj nauk skroz prodro pamet i sèrce njihovo: tad nebi oholost, slavohlépje, pohlépa za vladanjem, i nepravedno prisvojivanje uzpirilo u toliko pèrsa njihova, da se neboje tako strašna zla nanesti družtvu čověčanskomu. Neda se tajiti, da svi nepravedni ratovi potiču iz nečistih vrélah. Najočevidniji dokaz tomu imademo u nesretnoj Italiji. Jer čemu se ima pripisati, da je poslědnjih ovih několiko godinah, ondè proliveno toliko čověčje kèrvi, spaljeno toliko gradovah i selah, toliko hiljadu ljudih pobacano u gadne tamnice? Čemu se ima pripisati, da su prastare i ugledne vladajuće kuće, na nesreću mnogih, svèrgnjene i odagnane sa prěstolja svoga, koj kroz stolětja zasědahu posve zakonitim načinom? da je ista častna glava svega kèrstjanstva, sveti Otac naš, stranom na silu, stranom na nedostojni, izlišni, varavi način, lišen većeg děla dèržavah svojih, stečenih na pošten i zakoniti način, te kojih mu

neobhodno treba, da sa dostojanstvom i neodvisno uzmogne upravljati sa svetom cèrkvom božjom? — Sva ova zla potiču samo s neobuzdane oholosti, slavo- i vladohlèpja jednoga ili dvojice njih, koji domašiv se vlasti, pod izlikom, da će osloboditi ugnjetene narode, promicati narodnu prosvètu, — u istinu pako s naměre da proslave ime svoje, ili da zasite svoju žedju za tudjim, — siromašni narod talijanski stèrmoglavište u toliku nesreću. — Pitam vas drage duše kèrstjanske! bili mogli ovi ljudi ovakova zla počiniti, kad bi sbilja bili oduševljeni pravim duhom zveličiteljevim? Velim duhom Spasitelja našega, koj bijaše krotak, i poniznoga sèrca, koj nije ništa toliko mèrzio, koliko oholost, dèrzovitost, slavohlèpnost? Koj je učenikom svojim tako strogo zabranio vrědjanje tudjega dobra i pravah, da je osudio i sámu želju za tudjim? Koj je mèrzio nepravedno prolěvanje kèrvi čověčje, plačkanje, prevaru i grabež, kao najstrašnije zločine? Doista svaki, koj imalo imade zdravoga mozga, odgovoriti će mi: da toga učiniti nebi mogli, kad bi imali pravoga duha Kristuševa.

Ali ne samo izmedju narodah i njihovih vladarah bivaju ovakove nepravde, silovitosti, tlačenja; nego vidimo kako se i u pojedinih obiteljih, i medju pojedinimi ljudmi dan na dan umnožavaju svakojake krivice, progonstva, prevare i mèržnje. Ili znače li što drugo tolike parnice pred sudovi? toli žestoke javne i tajne razpre? tolika varanja? ugnjetavanja udovah i sirotah? tolike kavge i svadje u istih seljačkih kućah medju ukućani, dà višeput medju otcem i sinom, medju bratjom, medju supruzi, medju najbližim rodom, svadje kadkad tja do kèrvi? To su doista velika zla, koja mnogim te mnogim ogorčavaju život do zdvojnosti. Potražimo li opet izvor svega toga: nećemo naći drugi, nego taj, što je ohladila věra u sèrcu čověčanskomu, što su ljudi odstupili od duha zveličiteljeva, što se nedèrže presvetoga nauka njegova i njegovih zapovědih. Jer kad bi vladao u njih Kristus, tad bi se domislili, da nije ništa

tako često, i tako toplo preporučao učenikom svojim, koliko medjusobnu ljubav; tad bi se sětili one njegove izjave, da o ljubavi Boga i bližnjega visi sav zakon i proroci; da je ova ljubav svèrha svih zapovědih, i razlučivi biljeg učenikah njegovih. Tad bi se sětili, da je baš preblagi Spasitelj naš početnik blaženoga onoga mira, koj nadvisuje svako ćutjenje, i kojim je obično pozdravljao učenike svoje, govoreći „*Mir vam,*“ te im ga svetčano i obrekao, rěčmi „*Ostavljam vam mir, mir svoj dajem vam, ne kao što ga sviet daje, ja vam ga dajem,*“ sětili bi se tad, da je Spasitelj Jezus Kristus krotkoću sèrca, i medjusobnu slogu toli revno preporučivao naslědnikom svojim, da se nije uztezao reći: *Ja pako govorim vam: neprotivi se zlovoljniku. A onomu, koj se hoće s tobom tužiti pred sudom. i oteti ti haljinu, ostavi i plašt.* Sětili bi se napokon, kako je Spasitelj preporučao učenikom svojim, da pomognu jedan drugomu nositi breme, i da odpuste duge dužnikom svojim, kako i oni žele, da im otac nebeski odpusti duge njihove. Kad bi to ljudi sveudilj imali na pameti: prestala bi sva ona zla, što sam napomenuo, a medjusobna ljubav, dobrohotnost i bratinsko pověrenje, u blaženoj slogi, bi sèrca pravověrnih, kao što ih je spajalo u pèrva vremena kèrstjanstva, kadno uz čvèrstu věru u Boga i Spasitelja, sèrca kèrstjanah bijahu puna nežne ljubavi u toliko, da se je o njih reći moglo, kao što čitamo u činih apoštolskih: *Množine pako věrujućih bijaše jedno sèrce i jedna duša.*

Druga vèrst nevoljah što nas u ovom životu napastuju, jesu bezbrojne one bolesti, nemoći i tuge, koje nas odasvud tište. To su poslědice iztočnoga grěha, koj počiniše pèrvi naši roditelji; ali ipak i one nam mogu kadikad pomoći u postignutju najviše one svèrhe, radi koje smo stvoreni, naime u postignutju věčnoga blaženstva. Jer nas uzdržavaju od grěha i još veće čudoredne skvarenosti; pa s toga gledišta, mogu se bolesti i nemoći naše, uslěd rěčih svete Teresije, svim pravom

Pa sa svim tim, prem je to dokazano i očito; koliko ih imade, koji misle, da je moći zajedno bogu i světu služiti; koliko ih ima, koji se iz vana pokazuju pobožni koji dolaze k službi božjoj, kad i kad i milostinju děle, ali to sve more biti samo zato, da tim sigurnije svoj grěšni život sakriti mogu. Ima ih, koji se dèrže za dobre kèrstjane, dapače za dobre katolike, a pokraj toga zameću i preziru stanovite članke kèrstjanske věre, ruglu ih izvèrgavaju i nedostojno napadaju. Imade ih, koji nemogu dosta lěpih rěčih smagati, za uzvisiti bratsku medjusobnu ljubav, ljubav pram bližnjemu, a u sèrcu svome goje mèržnju proti ovomu ili onomu i podjedno misle, kako da mu se osvete. Ima ih, koji rěčmi izpovědaju, da su slědbenici Isusa, a svakom sgodnom prilikom oko toga nastoje, kako da se cèrkvi, zaručnici njegovoj oduzme njena vlastitost, njezina čast, — koji u onih, koja spadaju na razširenje i promicanje slave božje, i jedinorodjenoga božjega sina, neće ni malo da udioničtvuju. Rěčju imade ih, i to žalibože mnogo, koji jednu ruku pružaju bogu, a drugu grěhu; jednom nogom stupaju po putu spasenja, a drugom po stazi nepravde; koji misle, da je moći ugoditi i bogu i grěhu, a nepromisle, da Bog s Belialom ništa neima, da světlost i tminu združiti nije moći; nemisle na rěči Spasiteljeve: *Koj nije sa mnom, taj je proti meni. — Nemožete dvim gospodarom služiti; nemožete služiti bogu i mamoni.* To je onaj stari kvas, od kojega nam valja očistiti sèrca naša, ako želimo u istinu s Kristusom uzkèrsnuti.

No usléd nauka sv. Pavla Apoštola, spada još na dostojno obslužavanje uzkèrsnih blagdanah: *Da blagujemo u prěsnom kruhu iskrenosti i istine.* Što će to reći, kèrstjanske duše?

To nam lěpo tumači isti Apoštol narodah, kada, o uzkèrsnutju govoreć, veli: *Ako ste s Kristusom uzkèrsnuli, tražite ono, što je gori, gdě Kristus sědi ob desnu boga, smislite se na ono, što je gori, a ne na ono, što je na zemlji. Vi ste bo umèrli, i vaše je življenje sakriveno u bogu.* (Col. 3.) *Obucite novoga čověka, koj je po bogu stvoren, u pravednosti i pravoj svetosti.* (Eph. 4.) I opet na drugom městu: *Obucite novoga čověka, onoga, koj se ponavlja na poznanje, po obličju onoga, koj ga je stvorio. Obucite dakle, kao odabrani božji, sveti i mili, ćut milosèrdja, dobrostivost, poniznost, čednost, uztèrpljivost. Podnoseći jedan drugoga i praštajuć, ako tko ima tužbu proti drugomu; kao što je bog oprostio vam, tako opraštajte i vi. Vèrhu svega pako imajte ljubav, koja je vez savèršenosti.* Dalje veli: *Mir Kristusov neka uzkliče u sèrcih vaših, za koj ste i sazvani u jednom tělu, pak budite zahvalni. Rěč Kristusova neka prebiva u vas obilato u svakoj mudrosti, učeći i nagovarajući jedan drugoga psalmi, slavospěvi i duhovnimi pěsmami, hvalu spěvajući u sèrcih vaših bogu. Sve, štogod činite, rěčju ili dělom, činite u ime gospodina Isukèrsta, hvaleći po njem boga i otca.* (Col. 3.) To znači, kèrstjanske duše! blagovati u přesnom hlěbu iskrenosti i istine. Sva ova, po Apoštolu tako obširno navedena, jesu plod slavnoga uzkèrsnutja Zveličitelja našega; jesu spasonosni plod one poběde, koje ćemo i mi dionici postati, ako duševno s Kristusom uzkèrsnemo. Plodove te pojedince obrazložiti, bilo bi predugo; sa svim tim nemogu propustiti, da vam ih poněšto obširnije nepredočim, stegnuv se na one tri poglavite krěposti, koje su svih ostalih krěpostih vrělo i sadèržaj. Mislim věru, ufanje i ljubav.

Pèrvi u pameti i sèrcu čověka, koj je u istinu s Kristusom uzkèrsnuo plod, jest poběda věre, spoznanje spasonosne istine kèrstjanske. S Kristusom uzkèrsnuli čověk, ništa većma nečěni i nepočituje, nego rěč božju, cèrpljenu iz svetoga Evangjelja i nepogrěšiva nauka svete cèrkve. On ju dèrži za istinu

i mudrost věčnu; ona mu je světlo, razsvětljujuće svakoga čověka, dolazeća na ovaj svět; světlo, koje pèrši tmine uma svijuh, koji u tami i hladu smèrti sěde. Ona mu je učitelj u neznanstvu, savětnik u dvojnosti. U ovoj znanosti věre kèrstjanske tèrsi se on od dana do dana sve više usavèršiti. S toga rado sluša rěč božju, nasladjuje se čitanjem bogoljubnih knjigah i promišljanjem spasonosnih istinah věre kèrstjanske. On dobro znade i u duši je svojoj uvěren, da je mudrost světa ovoga nerazbor pri bogu, i da nitko nemože doći do spoznanja istinah věčnih, u koga neima světlosti věre, koj nije prosvetjen mudrostju rěčí božje. S toga dodje li mu u ruke zločesta kakova knjiga, ili koj, neprijateljskim duhom proti věri nadahnuti časopis; ili čuje li napadati članke věre i cèrkvene obrede, i na ruglo ih stavljati; ne samo neće potresti věrom svojom, nego će sažalovati nesretni udes takovih nadrimudracah, koji još toga neuvidjaju, da se jedinoj věri kèrstjanskoj zahvaliti ima, da se je pokoljenje čověčje izbavilo iz barbarstva, u kom je kroz věkove čamilo; da je věra kèrstjanska jedini temelj i poluga čověčnosti, prave slobode i naobraženosti.

Nadalje, gdě je ta spasonosna věra u pameti i duši čověčjoj čvèrsti koren pustila, usadi se dublje u sèrce i radja ljubav, ljubav prama bogu i bližnjemu. Věrom indi slavi pobědu i ljubav u sèrcu kèrstjanina, koj je duševno Spasiteljem svojim uzkèrsnuo. Njegovo glavno načelo i nepobitno pravilo u životu jest: ljubiti Boga vèrhu svega, a bližnjega, kao sama sebe. Ova sveta ljubav jedino je poticalo njegova dělovanja, jest ona moć i sila, koja ga potiče na točno i věrno izvèršivanje dužnostih svojih. On si netare glave, što svět o njem misli i govori; da li način njegova življenja, i čine njegove dèrži za slaboću ili prostotu; on nepita, da li će mu to biti na štetu i gubitak vremenita dobra; ili da li će za platju steći nezahvalnost, kojom većinom naplatjuje svět primljena dobročinstva. Čověk, uzplamćen ovom vrućom ljubavi, jest pomirljiv, mirolju-

biv, čedan, stèrpljiv i dugotèrpan, jest milosèrdan, al ujedno, gdè dužnost i potreba nalaže, strog i pravedan; neće da ugasi dimeći stĕn, ni da slomi skèršenu tèrstiku. O takovoj ljubavi kaže Apoštol: *da je svèršenje zakona i vèršak pravednosti i svetosti.* O toj ljubavi govori Toma Kempenski: *Ništa sladjega od ljubavi, ništa jačega, ništa radostnijega, ništa veselijega, ništa savèršenijega na nebu i na zemlji; ljubav bo dolazi od Boga, niti može, osim u Bogu, nad sve stvorena odpočinuti.* (Libr. 3. C. 5.)

Napokon, vĕrom i ljubavju, koje slavodobitno vladaju u sèrcu uzkèrsnula s Kristusom čovĕka, ukorenjuje se duboko u njem i ufanje, te pouzdanje u Boga i njegovoga jedinorodjenoga sina, u kom i po kom nam je poklonio otac nebeski sve i sva. Koj je u istinu s Isukèrstom uzkèrsnuo, uzdiše često oduševljen dĕtinjim zaufanjem, u nebo podignutima očima: „Abba, mili otče!“ Ovo dĕtinje čuvstvo napunjuje ga blaženim ufanjem, koje ga podupire i tĕši u svih sgodah i nesgodah njegova zemaljskoga putovanja. U nikakovoj stisci neće duhom klonuti, u nijednoj bĕdi i nevolji neće zdvojiti; jer znade, da nije ostavljen; s toga neumoran u nevolji, čim je veće zlo, koje ga tišti, tim veću moć i jakost u sebi ćuti, za podnositi isto. Vĕra bo dĕluje u grudih njegovih stèrpljivost, *stèrpljivost pako*, kako Apoštol veli: *odobrenje, a odobrenje ufanje; ufanje pako nesmutjuje*; jer dobro znade, da ga za kratko trajne bĕde ovoga svĕta, čeka sjajna kruna vĕčne slave.

Na takav način, duše kèrstjanske, postaje s Kristusom uzkèrsnuli kèrstjanin bi reći: novi čovĕk. Postaje, kako Apoštol kaže: *Novi stvor*; *stara su minula, sve je postalo u njem novo.* (II. Cor. 5.) *Nežívim više ja*, veli isti naučitelj narodah, *nego živi u meni Kristus. Da pako živim u tĕlu, živim po vĕri u sina božjega, koj me je ljubio i predao sama sebe za me.* (Gal. 2.) I opet na drugom městu: *„Tko će odabrane božje osvaditi? Jeda li Bog, koj ih je opravdao? Tko će ih osuditi? Da li Jezus Kristus, koj je umro, dà koj je i uzkèrsnuo, koj je ob desnu Boga i koj moli za nas? Tko će nas dakle razstaviti od ljubavi prama Kristusu? Nevolja? ili stiska? ili glad? ili golota? ili pogibelj? ili progonstvo? ili mač?*

To je pobĕda, koju bi svaki kèrstjenik danas slaviti morao! Tu smo pobĕdu stekli po Isukèrstu. On je vodja naš i branitelj naš u borbi; on je, koj nam pruža lovor-vĕnac pobĕde. Naša pobĕda i njegova je pobĕda, naša slava, njegova slava. Kristusova pobĕda nad neprijatelji spasenja, i naša pobĕda s njim i po njem jest ono slavje, štono ga vasioni svĕt kèrstjanski ovih svetjanih blagdanah vazmenih slavi. Stotine hiljadah pravovĕrnih bijahu prije nas dĕlnici te slave, te ovĕnčani lovorikom pobĕde, unidjoše u vĕčno blaženstvo I nas čeka sjajna kruna toga blaženstva. Nastojmo indi, kèrstjanske duše! da stečemo pobĕdu s Kristusom, da uzmognemo dionici biti njegove slave u blaženoj vĕčnosti.

Dragi kèrstjani! Prije njekoliko tjednah, početkom najme onoga svetoga vremena, u kom obslužavasmo uspomenu muke i smèrti Jezusa Kristusa, uspomenu spasenja našega, odzivahu se u sèrcih naših rĕči Spasitelja: *Ajdemo gore u Jeruzalem.* Ove ozbiljne rĕči opominjale su nas, da nam je otvoren put, stèrm doduše i tèrnjem posut, nu koj sigurno vodi k svèrhi našega zemaljskoga putovanja. Cilj putovanja našega bijaše nam pred oči stavljen, kao na visokom brĕgu, do kojega nije moći doći, nego velikim nastojanjem i naporom. Taj pako cilj nebijaše drugi, nego da, umèrvši grĕhu i pokopav staroga čovĕka u nami, na novi život u Jezusu uzkèrsnemo, i da — kako je jur prije spomenuto — neživimo sami sebi, nego da živi u nami Kristus!

Na tom putu, po kom nam je u ovo prošlo korizmeno vrĕme stupiti valjalo, rodila nas je sv. mati cèrkva katolička. Njena blaga rĕč odvraćala nas je od svĕta i njegovih nasladah.

Ona nas je pòzivala, da zatajimo samo sebe, da vojujemo proti tělu i grěhu; pozivaše nas na pravú, istinsku pokoru; pozivaše nas, da naslědujemo primĕr i stope Spasitelja našega. Ta brižna majka ništa propustila nije, što bi nam za to služiti moglo, da tu uzvišenu svèrhu postići uzmognemo. Predočila nam je taštinu i nestalnost světa i njegovih dobarah i naslađah, te gorkost dolazećih iz njih plodovah. Usuprot pokaza nam preveliku vrědnost onih, koja će nam u dio pasti, ako njene savěte i opomene slušali budemo. Pokaza nam tisuću putah veće i dragocěnije blago, štono ćemo ga postignuti, ako primĕr Isukèrstov cělim sèrcem slědili budemo. Pokazà nam, da put taj doduše velikih žèrtvah zahtěva, nu da su tim veća i cěnija dobra i slasti, do kojih nas vodi, naročito: pomirenje s Bogom i blaženi pokoj savěsti. Nadalje, ljubljeno nas pozivaše, da blagujemo od onoga nebeskoga kruha, koj će nam iznemogle sile povratiti, te nas u sred borbah i pogibeljih jačiti i hrabriti. Napokon dopeljala nas je, bi reć, za ruku ka grobu Spasitelja našega, da pokopamo ondě staroga čověka, pa da nastajućih uzkèrsnih blagdanah s njime uzkèrsnemo, slaveć pobědu nad neprijateljem našega spasenja.

Evo, današnjim danom svanu nam taj dan pobĕde i slavja. Kristus, vodja naš i pobĕditelj, stoji nad grobom svojim, gleda milosèrdnima očima na slědbenike svoje, na one, koji preobladav svět, tělo i grěh, postaše u istinu dionici slave njegove? Je li, kèstjanske duše! ovaj uzkèrsni blagdan u istinu blagdan i našega uzkèrsnutja? Dolazi li naš veseli Alleluja iz unutarnjeg osvědočenja, da smo postigli svèrhu svoju? je li je pravi izraz naše nutarnje pobĕde? našega uzkèrsnutja iz groba grěha? objačene věre, umnožene ljubavi i učvèrstjene nade naše? —

O Spasitelju ljubazni! s tobom i po tebi možemo sve i sva, a bez tebe ništa! Podupri, molimo te, slabost našu, da se i mi uzmognemo njekoć s tobom proslaviti za uvěk. Amen!

PARS III.

DICTIONES

AD

ALUMNOS SEMINARII ARCHI-EPISCOPALIS

A. 1862, 1863, 1864, 1865 ET 1866.

NEC NON

OCCASIONE SERVATORUM ANNO 1865. S. EXERCITIORUM SPIRITUALIUM CLERI DIOECESANI, HABITAE.

Cum fine anni scholast. 1862. ad alumnos Seminarii.

Dilecti filii!

Dum religiosus, suorumque amans pater familias, filium peregre proficisci videt, nulla magis angitur sollicitudine, quam ne is ab ea, quam sub paterna disciplina constitutus, contraxerat agendi vivendique consvetudine deflectat; ne oblitus quae in paterna domo hauserat salutarium principiorum, a virtutis tramite in quamcunque declinet aberrationis semitam, quae eum temporalis aeternaeque felicitatis amittendae exponat discrimini. Eadem pectus meum occupat sollicitudo, dum vos, filii dilectissimi, sacri hujus plantarii septa video deserere, nonnullos quidem in perpetuum, plerosque, ut bimestrali a studiis vacatione, suas reficiant mentis corporisque vires, diuturniori contentione adstrictas. Haec vero sollicitudo mea eo est amplior, quo parte ab una tenerior est mei erga vos paterni cordis affectus; quove parte ab altera communior est eorum, qui publicis institutis, ac nominatim Seminariis clericorum praesunt querela: ex nulla alia re majora alumnis, relate ad moralis progressionis cursum emergere pericula et detrimenta, quam ex iis, de quibus mihi sermo est, annuis vacationibus; quove certior docet experientia, prognatas sub disciplina seminaristica salutares virtutis plantas in mentibus cordibusque alumnorum passim vacationum tempore flaccescere, non raro penitus deficere, imo quandoque vice earum reportari in septa Instituti varia zizaniorum, id

vero est vitiorum germina, ingentem saepe in aliorum etiam animis stragem operantia. Itaque, quod hactenus facere consveveram, hac quoque vice, aliqua vobis, ad ferias discessuris, impendere constitui paternae monita exhortationis. Signanter paucis memorabo, praecipua, quibus clerici extus septa Seminarii agentes, exponi solent innocentiae, moralisque perfectionis pericula; memorabo una pari cum brevitate, media, quorum adhibitione haec evitare, aut depellere possitis discrimina.

Scitis, filii dilectissimi, quod et ipse, toties jam, verbis non minus ac pastoralibus literis ingeminabam clero meo, omnis verae virtutis, quaeve huic innititur genuinae prosperitatis, fundamentum consistere in fide christiana. Et siquidem vera firmaque fides christiana extus gremium ecclesiae catholicae incassum inquiritur: dici cum veritate potest, unicum tutum, certumque humanae virtutis et prosperitatis propugnaculum esse fidem christiano-catholicam. Hoc omnium temporum experientia, hoc ipsa etiam, rerum rationes rite combinare valens, humana ratio docet quam manifestissime. Certum est parte ab altera, hominem, praesertim juvenem literis aliquantum excultum, nullo unquam tempore majoribus fuisse expositum amittendae integritatis fidei periculis, quam infelici hac aetate nostra. Tanta enim est diebus nostris ingeniorum petulantia, tanta principiorum perversitas, ingenti religionis odio copulata, tanta pessimorum librorum inundatio, tanta denique sanctissima quaevis humani generis instituta impugnandi audacia, ut omnino juvenis, in medio praesertim mundi constitutus, suoque vivens arbitratu, se felicem possit reputare, immortalesque Deo agere gratias, si in nullum horum, quibus undique circumdatus est, impegerit scopulorum, suaeque fidei naviculam prospere in portum salutis potuerit propellere. Quam facile potest evenire, ut clericus omni seriae occupationis onere, omnique Superiorum inspectione solutus, quod obtinet feriarum tempore, in familiarem consvetudinem incidat unius alteriusve religionis sensu de-

stituti, aut plane inimico erga eam spiritu animati, sanctissima fidei dogmata impudico ore vellicantis, subsannantis, aut plane ingeniose effictis sophismatibus ex professo, ut aiunt, impugnantis hominis? Quam facile potest accidere, ut impingat in perversum librum, in pagellas religioni, ac catholicae imprimis Ecclesiae infestas, quibus hac temporis infelicitate, cunctae paene infectae sunt domus, impleta scrinia et pulpita, ipsa adeo vicorum compita? Quae si incautus degustaverit, aut plane abundantius haurire perrexerit venena: imprimis de singularibus dogmatibus, subin de toto christiano-catholicae fidei complexu dubitabit; sique institerit infelici suo studio, in dies labetur profundius, tandem triste fidei suae patietur naufragium; quam si amiserit, amisit tranquillitatem cordis, amisit fundamentum et essentiam vocationis suae, denique amisit bonum illud, quod est supra omne bonum; bonum, in cujus comparatione cuncta hujus mundi bona evanescunt; bonum, quo amisso actum est de innocentia vitae, de prosperitate hominis, temporanea aeque ac perenni. Itaque vos omni cum paterni affectus teneritudine hortor, filii dilectissimi, ut religioni infestorum hominum, quibuscunque vobis jungerentur amicitiae aut cognationis indaginibus, consortia, ipsum adeo halitum vitetis quam sollicitissime; vitetis libros, qui saepissime sub dulci melis specie, perniciosa propinant venera; vitetis colluviem istam publicarum pagellarum, non minus religioni, quam aliis legitimis authoritatibus infestarum.

Ut vero imminentia Vobis, hac in parte pericula tutius certiusque evitetis, ad quandam, fere tempori nostro propriam, insontes corrumpendi malevolorum artem attentionem vestram censui provocandam. Sunt quippe, aetate nostra, nec pauci, in dignitatibus quoque constituti, satque probatae secus vitae homines, qui se bonos esse Catholicos protestantur, sed vero inter principia Catholica, et severiora illa, quae Jesuitismi nomine solent compellare, distinguunt quam sollicitissime; illa summis laudibus

efferunt, haec omnibus modis impugnant; scrupulositatem, hypochrysim, pharisaeismum compellant. Persvadere conantur juvenibus, etiam ad statum clericalem destinatis, genuinum virtutis studium non consistere in externis religionis actibus, in jugi oratione, ecclesiae et Sacramentorum frequentatione, his similibus; humilitatem ad eandem cum servili sui abjectione classem referunt, sensualium appetituum refraenationem superfluam, ac monasticam disciplinam redolentem rigorem compellant; piam corporis ad orationem compositionem modestiamque, ceu imbecillis animi, debilisque mentis documenta rident; contra generositatem, suae dignitatis, innatorumque sibi jurium vivacem sensum, animum omni superstitione liberum, ceu prioribus illis oppositas virtutes, summis laudibus extollunt. Fugite idgenus homines, dilectissimi, credite mihi non sunt aliud, quam lupi rapaces ovili pelle induti; quibus si aurem propensam commodaveritis, a tramite recto ad eas vos deducent semitas, quarum exitus certum est praecipitium. Tales ego homines, pro clericis imprimis, perniciosiores esse existimo ipsis aperte impiis, et religioni manifeste infestis. Hos enim animus, vel quadamtenus fidei virtutisque sensu imbutus, suapte natura refugit, illi sub specioso veritatis et innocentiae velamine, incautos sensim exuunt inaestimabili pietatis et religionis thesauro.

Sed non tantum e conversatione cum parvae aut nullius fidei hominibus, perversorumque librorum et ephemeridum lectione, — ex intermissione quoque actionum, religiosam pietatem alentium, possunt homini, signanter clerico extus septa Seminarii agenti, gravia emergere pericula. Religio, ut me in pastoralibus quibusdam literis recordor memorasse, optime comparatur igni physico, qui, nisi continuo superpositis incentivis alatur materiis, extingvitur. Id est, si negligantur ea, quae per Salvatorem nostrum, sanctamque Ecclesiam constituta sunt media ad fidem, religiosamque pietatem in nobis conservandam et intendendam, qualia sunt: frequens oratio, pia meditatio, ju-

gis Sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae participatio, quotidianum conscientiae examen: religionis flamma, quamcunque laete exarsisset in pectore humano, sensim tabescit, non raro emoritur sic, ut vix aliqua ejus remaneant indicia. Hinc illa, ut ita dicam, practica incredulitas, quae infelici hac aetate nostra in civitatibus cumprimis, et in ea hominum classe, quae se cultam jactitat et illuminatam, tantopere invaluit, tamque tristes exerit strages. Hoc incredulitatis genus nihilo melius est, theoretico illo, de quo superius nobis sermo fuit; imo certo ex obtutu periculosius etiam vel propterea, quod illud severioribus studiis, cum tempore depelli possit, hujus ubi semel invaluit, debellandi vix aliqua suppetant remedia. Itaque hortor vos, filii dilectissimi, caveatis vobis a peste acediae, quod peccatum non frustra capitalia inter peccata retulit Ecclesia sancta catholica. Est etenim incentivum, est altrix, est quodammodo mater omnis paene corruptelae moralis. Sit vobis sanctum, firmumque propositum, nunquam intermittendi matutinas, vespertinas, aliasque, quibus in Seminario asvevistis, preces. Nullus pertranseat dies, quo non pia lectione spiritualique meditatione refocilletis mentes cordaque vestra, suapte ad ea, quae ex malo sunt, sensuumque favent appetitui, propendentia. Quotidie Sacri Missae Sacrificii celebrationi interveniatis ea, qua par est cum devotionis pietate. Nunquam vos ad capiendam nocturnam quietem componatis, quin intuitu diurnae conversationis vestrae, stricto conscientias vestras subjecissetis examini. Denique, quo fieri potuerit frequentius digne participetis in Poenitentiae et Eucharistiae Sacramentis, quae certissima sunt, una efficacissima conservandae fidei, morumque puritatis subsidia.

Porro juvenis severioris disciplinae regulis exemptus, etiamsi clericali jam adscriptus sit militiae, nisi summam super se ipso exerat vigilantiam, incidere facile potest in familiarem cum aliqua sexus sequioris persona conversationem. Quam ea res plena sit periculi? non opus habeo vobis demonstrare. *Ex-*

perto crede, dicebat Magnus Augustinus, *coram Deo non mentior*: *cedros Libani, duces gregum, sub hac peste cecidisse reperi; de quorum casu non magis suspicabar, quam Hieronymi aut Ambrosii.* Et ipsi scitis, quot vel posterioribus annis, bonae secus spei clerici, qui, pro ingenii et animi dotibus, quibus ab authore naturae erant instructi, Supremi Numinis gloriam in mediis mundi tenebris promovere, innumeras animas Deo lucrari, misere afflictae Ecclesiae insignia exhibere potuissent servitia, in tristem hunc impegerint scopulum, suaque exciderint vocatione, non absque proprii honoris dispendio, in detrimentum bonae rei, magnamque parentum, aut cognatorum et benefactorum suorum consternationem. Cavete igitur, filii dilectissimi, a pernicioso hoc illicio; fugite omnem cum junioribus sexus sequioris personis, etiamsi honestissima vobis, periculique vacua videatur, familiaritatem. Nisi enim primis restiteritis initiis, evitare haud poteritis venenatae viperae morsum, quem si semel recepistis, vix efficax amplius reperietis malo antidotum; actum erit de tranquillitate animi vestri, actum de sinceritate et puritate vocationis vestrae, actum de spiritus ecclesiastici evolutione, actum de ea, quam vobis in sanctuarii servitio polliciti estis, prosperitate.

Non leve pariter Clerico, ferias authumnales agenti, emergere potest periculum ex commessationibus, venationibus, aliisque strepitosis istis conventibus et societatibus, quae proh dolor, hodiedum, nec in secularibus tantum, sed et ecclesiasticis domibus, variis sub praetextibus, quandoque studiose accitis, institui solent. Quippe in societatibus idgenus laxantur lenocinia sensuum, miscentur sermones inconsiderati, personant cantilenae haud satis castigatae. immo castarum quandoque aurium offensivae, immoderatis vini haustibus indulgetur, cuncta inconditis resonant clamoribus, vacatur lusibus, peccaminosas quasque passiones irritantibus et sufflaminantibus; quae cuncta non tantum e diametro opposita sunt vocationis ecclesiasticae sobrietati,

modestiae clericali, et severae, quae sacerdotalem statum decet dignitati; non tantum cum tristi vadunt pretiosi, longe melioribus rebus impendendi temporis dispendio, sanitatisque violandae periculo, sed quandoque contrahendis alieni aeris oneribus, offensionibus mutuis et inimicitiis, aliis excessibus, saepe publico cum scandalo junctis, ansam suppeditant et materiam. Sunt autem haec eam etiam ob causam perquam periculosa, quod ex frequentata largius hauriendorum potuum spirituosorum consvetudine juvenis homo facile in illud incidat vitii genus, quo vix quidquam cogitari potest sacerdotali dignitati magis repugnans, magisque perniciosum, vel propterea, quod aegre vel unum allegari possit exemplum, hominem ebrietatis vitio deditum plene ab eo fuisse resanatum. Vitate itaque, filii dilectissimi, periculosos istos, quos memoraram conventus, nec aliorum, quantaecunque secus considerationis vobis videantur, exemplis, a sobrio, quive vocationem vestram apprime decet, dignitoso tramite vos abduci patiamini, demonstrantes hoc pacto, vos, licet aetate juvenes, moribus tamen et sapientia seniores esse, melioraque edoctos perspicere, quae congruant, quae item repugnent sanctimoniae vocationis vestrae, ipsisque proprii honoris et prosperitatis rationibus? Et si eapropter vos levium aut improborum hominum sannis et vellicationibus, quod non raro fieri solet, exponi contigerit, nolite contristari, sed potius gaudete et exultate in cordibus vestris, probe persvasi, vos iis resistendo, non parvos jam in virtutis tramite fecisse progressus.

Unum adhuc est, quod specialius censui memorandum. Intelligo immoderatum nationalitatis studium; speciosam istam nostris prope temporibus propriam, animorum exaltationem. Memini me dixisse vobis alia jam occasione: patriae amorem cordi humano prorsus esse naturalem, tamque parum inter vitia referendum, ut omnino veri nominis virtutibus sit accensendus. Dixeram, Paulum Apostolum. ipsum adeo Salvatorem nostrum Jesum Christum, in hoc quoque genere praeclaro nobis prae-

luxisse exemplo. Sed memoravi una, cuncta suos habere limites, ultra quos ipsae virtutes nequeant consistere; liberalitatem, utprimum hos transgreditur limites, degenerare in prodigalitatem, parsimoniam in avaritiam, et sic porro. Amor quoque propriae nationis, si transcendat, quos ei lex divina, sanaeque rationis dictamen posuit limites, degenerat in malum, tristissimosque operari potest effectus. Scimus, experientia docti, non paucos, indiscreto, nimisque exaggerato patriae amore actos, relate ad statum rerum publicum talibus institisse praetensionibus, quae neque cum Imperii, cujus partem efficimus, salute et securitate, sed nec cum bene intellecta propriae patriae prosperitate possunt conciliari; similes simiae matri, quae non raro imprudenti erga suos natos affectu concitata, hos tanto aestro suo gremio adstringere dicitur, ut ii respirio destituti suffocentur. Videmus alios phanatico honoris patriae studio incensos, in violentos, recto ordini, debitaeque legali authoritati derogatorios actus proruere, cum non modico publicae tranquiltitatis, atque adeo propriae libertatis periculo. Videmus non paucos adeo abripi nationalitatis zelo, ut nihil pensi ducant, resecare popularibus suis omnes altioris culturae fontes, ipsas adeo procurandorum vitae mediorum scaturigines suis propriis filiis obturare. Et an non sunt reperti in ipso etiam hujus Instituti alumnatu, qui magnam temporis, quam sacrosanctae vocationis suae studiis impendere debebant, partem, patriae literaturae colendae impenderunt, sicque justo minorem, aut plane debilem, in illis disciplinarum generibus fecerunt progressum, sine quibus non poterunt iu procuranda animarum salute optato cum fructu desudare? Denique quis negaverit, magnam sane odiorum, aemulationum, inimicitiarum omnis generis, imo caedium, aliarumqne, orbem terrarum actu depopulantium calamitatum partem nimio isti, justosque limites excedenti nationalitatis studio esse adscribendam? Res, quae tam acerbos producit fructus, quae e diametro opposita est sacrosanctae illi universali proximi charitati, quam Salvator noster intulit mundo, quaeve fundamentum est omnis perfectionis, omnis humanae prosperitatis; res, inquam, quae huic tantopere derogat supremae legi non est e bono, nec cuiquam, qui divinae agnoscit revelationis lumen, probari potest, minime vero illis, qui ad hoc inter homines propagandum divinum lumen sunt destinati; qui praecones agere debent Evangelii pacis et amoris. Gloriam Dei promovere, animas in viam dirigere salutis aeternae, praecipuus debet esse scopus sacerdotis, cui cuncta caetera ejus studia subordinata sint oportet. Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus, aperte dicebat benignissimus Salvator noster. Itaque et nationalitatis studium tum solum probandum est in clerico, si in harmonia sit positum cum sublimitate vocationis sacerdotalis, imo huic subsidii instar deserviat.

Haec sunt, quae ob oculos vobis ponenda censui, filii dilectissimi, quove possem impensius commendanda. Quorum si jugiter, omnique loco memores fueritis, fiirmiter confido, fore, ut imminentes has bimestrales ferias inoffenso pede decurratis, ut ex pretioso sanctimoniae vitae thesauro, quem decursu scholastici anni vobis collegistis, non perdatis quidquam; eum potius, juvante divina gratiâ, quae sincere contendentibus deesse non solet, amplius etiam adaugeatis, sicque custodito et vestro et Instituti, cujus membra estis, honore, custodito beato purae conscientiae testimonio, mente et corpore refecti, in hoc revertamini sacrum plantarium, alacri animo cursum vestrum in nobili, quem calcare instituistis, tramite prosecuturi. Iis e vobis, qui Semenarii cursum jam emensi sunt, quive in limine constituuntur Sanctuarii, nihil specialius dicendum arbitrabar: cum eos in iis, quae hodierno adhuc die subituri sunt, spiritualibus exercitiis, adcuratam, copiosioremque institutionem sortituros nullus dubitem.

Restat, ut vobis, filii dilectissimi, benedictionem meam, ceu paternae voluntatis tesseram impertiar, quod lubenter facio, teneroque sane cum cordis affectu.

Ad alumnos Seminarii cum fine anni scholast. 1862-3.

Dilecti filii!

Finem imponendo labenti scholastico anno, uno iterum gradu altius vos elevastis in scala, quae ducit ad Sanctuarium. Nonnulli vestrum penitus deserunt sacrum hoc plantarium, in cujus gremio, plurium annorum decursu, paterna cum sollicitudine fuerant enutriti, promptaque repererunt subsidia non tantum corporis indigentiis respondentia, sed ea etiam, quibus mens salutaribus disciplinis imbuitur, et animus ad sectandas sublimioris perfectionis christianae vias potest determinari. Longe maxima autem pars vestrum ex Instituto dimittitur eo unice fine, ut refocillatis bimestri spatio corporis mentisque viribus, impensioribus literarum studiis fatigatis, rursum ad hujus redeat septa instituti, novis viribus praestitutam sibi virtutum et sacratiorum literarum palaestram decursura.

Paterna sollicitudine actus, ne per tempus feriarum, Seminarii disciplina solutis vobis aliqua emergant detrimenta, id est, ne seu mentes, seu corda vestra, ex contactu mundi, et quibus is refertus est periculis, damnosa adtrahant contagia, solebam et adusque ad ferias discessuris vobis, nonnulla paterna impendere monita, quibus praemuniti discrimina idgenus certius, faciliusque possetis evitare. Idem nunc quoque mihi proposui faciendum. Et, siquidem ii, qui cursum seminaristicum absolverunt jamque ad Presbyteratus Ordinem promoti sunt, separata

subierint exercitia, quorum decursu uberiorem nacti sunt campum, semet adversum imminentia pericula praemuniendi: paterna consilia mea non tam ad hos, quam potius ad caeteros, qui iterum in Seminarii septa sunt redituri, dirigenda existimavi, sic tamen, ut et illi aliqua e verbis meis desumere possint, utilitate pro futura sua vita haud caritura, modo bona, quam lubenter suppono, apud ipsos adsit voluntas, et promta ad benevole excipienda Praesulis sui monita animi dispositio.

Si quando, his certo temporibus nostris, vera virtus ac innocentia vitae, tantis, tamque variis obnoxia est tentationibus et periculis, ut saepe eos etiam, qui optimis instituti fuerant disciplinis, jamque semitam virtutis firmo pede calcare censebantur, a recto tramite videamus deflectere, inque perditionis viam declinare. Et ecquidem praecipuos illos, in quos aetate hac nostra, probatissimorum quoque juvenum virtus incidere solet, scopulos, iteratis jam vicibus vobis indicavi, filii dilectissimi! nec hac opportunitate, quidquam melioris me facere posse existimavi, quam si vestram attentionem iterum ad praedominantia haec aevi nostri vitia excitavero, quae quidem totidem sunt moralis corruptelae fontes, quaeve praesentia, et quidem perniciosissima integritati vestrae creare possunt discrimina.

Haec inter praecipuo loco censenda est magis in dies magisque labascens fides christiana, quae incredibili scriptorum, et sermonum procacitate, astutia et audacia undique impetitur sic, ut in errorem induci queant etiam justi, nisi firmissimis mentem suam contra incredulitatis pericula praemuniant subsidiis. Fides christiana eripuit mundum perniciosissimorum errorum tenebris, coenoque vitiorum omnis generis immersum, et homines in libertatem adseruit filiorum Dei, id vero est inseruit regno virtutis et innocentiae vitae. Quo itaque magis benefica illa fides labefactatur in mentibus hominum: eo etiam profundius homines in vitia relabantur, eoque magis corruptela

omnis generis inter mortales invalescat est necesse. Cavete igitur vobis, filii dilectissimi, a libris inimico erga religionem spiritu exaratis; fugite ceu perniciosam pestem, conversationem cum hominibus in fide vacillantibus, aut plane sanctissima ejus dogmata cavillantibus subsannantibus. Quaerite contra et studiose versate libros, e quorum lectione; quaerite homines, e quorum consortio fides vestra ampliores in dies capere possit incrementa. Cogitate, amissa, vel attenuata fide vos omne germanae virtutis, omne et temporaneae et aeternae prosperitatis vestrae amisisse fundamentum.

Aliud non minus perniciosum aetatis nostrae vitium est vitium acaediae. Videmus nimirum magnam hominum partem, etsi dogmata religionis positive non impugnent, practica tamen, ut ita dicam, incredulitate esse infectam; non modo praecepta Ecclesiae, signanter quae jejunii et abstinentiae salutarem concernunt disciplinam, vilipendere, sed raro etiam mentem in pia oratione, ad Deum elevare, rarius in publico divino cultu debita cum pietate partem capere, rarissime uti constitutis a Salvatore ad adserendam animae nostrae salutem remediis, nominatim sacramentis Paenitentae et Eucharistiae. Videmus plerosque lectionem sacrae scripturae, aliorumque piorum librorum, caetera perfectionis christianae adipiscendae subsidia non tam negligere, quam contemnere. Deplorandum hoc, ac paene aetati nostrae proprium irreligiositatis genus eosdem fere in societate humana producit effectus, quos gignit positiva incredulitas. Parum enim refert, an homines defectu religiosae fidei, an neglectu praeceptorum ejusdem, a virtutis tramite desciscant, cum ambae viae ad idem ducant impietatis infelicitatisque barathrum. Tristi huic contagioni tutissime resistetis, filii dilectissimi, si ab iis, quibus in Seminario adsvevistis precibus, spiritualibus lectionibus, sacris meditationibus, cumprimis autem quotidiana sacri Missae Sacrificii auditione, et diligenti conscientiae examine vespertino, frequentiorique, ac eo quidem adcuratissimo

Sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae usu, ne hilum quidem recedendum existimaveritis; quae pia exercitia, velut totidem repagula collectarum in Seminario virtutum, meritorumque vestrorum thesaurum custodient quam certissime; quae proinde vobis commendo quo possum impensius.

Inter praecipuos porro moralis corruptionis fontes temporis nostri, indubie censendae sunt ephemerides, pravis ex obtutu religioso-morali ac politico principiis velificantes. Hoc scriptorum periodicorum genus non incongruenter comparari potest cum spirituosis liquoribus, e cremation variarum substantiarum produci solitis. Quemadmodum nempe liquores idgenus, non raro studiose dulcorati, grato suo sapore, innumeris sui ingenerant appetitum; sed vero successive amatorum suorum mentem offuscant, et corpus enervant, saepe perniciosis morbis reddunt obnoxium, imo in praematuram mortem praecipitant: sic malo spiritu animatae ephemerides, libertatis, patriotismi, aliisque hujusmodi illiciis mellitae, venenum suum per quotidianos quodammodo suctus, ingerunt mentibus cordibusque junioris cumprimis aetatis, et hominum solidis principiis destitutorum, ac vel propterea facile seductionis artibus patentium; donec tandem et mentes eorum perversis imbuant judiciis, et corda a sectanda genuinae virtutis semita deflectant. Sane concipi non potest, quod inter ipsos sacerdotes reperiantur, qui pagellas erga Ecclesiam, summumque ejus Pontificem inimico spiritu animatas, contra, revolutionariis agitationibus aperte faventes, ipsos capitales Sanctissimi Patris nostri hostes indignis laudibus cumulantes, quosvis proprii etiam regiminis passus variis subsumptionibus in malam semper partem detorquentes, sicque exoptatam adeo Summum inter terrae Principem et ejus subditos harmoniam, quantum in ipsis est, intervertentes, sed et Magistratus quosvis, dignitariosque absque discrimine status et ordinis procacibus cavillationibus suis impetentes; concipi, inquam, non potest, quod inter ipsos religionis ministros inveniantur, qui tam

perverso ipsisque sacrosancto Religionis nostrae principiis repugnante spiritu animatas pagellas non modo non reprobent, sed aperte etiam suis succolent sympathiis et studiis, imo nervo ex beneficii ecclesiastici reditibus desumpto sustentare haud quidquam pensi ducant. Id certe nec cum honestatis legibus, nec cum vocationis sacerdotalis indole, nec cum prudentiae naturalis rationibus, nec denique cum ipso sobrio patriae amore potest conciliari. Quivis enim vere sapiens perspicere debet, prosperitatem patriae, ipsamque bene intellectam ejus constitutionalem libertatem irreligiosis idgenus, secus etiam reprobandis agitationibus et nisibus effici non posse, nec ullam unquam nationem per hujusmodi doctrinas, et contentionem ad stabilem veramque pertigisse felicitatem. Itaque hortor vos, filii dilectissimi, ut a lectione idgenus pagellarum vos sollicite abstineatis, sed talibus potius legendis navetis operam, quae mentes vestras genuinis principiis, cordaque vestra profunda erga religionem pietate, erga legitimam potestatem, publicosque magistratus, ipsa Evangelii lege praescripta veneratione, germano modestiae sensu, sinceraque erga omnes imbuere possunt charitate.

Cum patriotismi fecerim mentionem; cumve secus etiam indubitatum sit, spurium patriotismum unum esse e praecipuis corruptelae temporis nostri fontibus: aliqua adhuc eatenus memorabo. Patriae amor innatus est cordi nostro, et, si genuinus sit, tam parum in censum vitiorum est rejiciendus, ut potius veri nominis virtus debeat compellari. Ipse divinus Salvator noster, absolutissimum illud omnium virtutum exemplar, ut alia jam occasione me dixisse memini, tam tenero patriam suam prosequebatur affectu, ut videns capitalem ejus urbem corruptelae omnis generis immersam, praevidensque tristem, quae eapropter ipsi imminebat sortem, acerbas profunderet compassionis lachrymas. S. Paulus, magnus ille doctor gentium, tanta dilectione prosequebatur populares suos, ut anathema esse cuperet pro suis secundum carnem fratribus. Nemo itaque prudens negaverit

amorem patriae et nationis propriae, in censum referri virtutum omnique esse laude dignam. Sed vero, quemadmodum omnes virtutes caeterae per excessum, aut sinistram directionem in opposita passim vitia solent degenerare: sic et amor patriae, si modum excedat, aut heterogeneis inficiatur elementis, cessat esse virtus, nec raro tristissimas inducit sequelas. Fit id signanter, si ei altiores, imo summi etiam humani generis fines subordinentur, ut est salus animarum aeterna, et sanctimonia religionis. Erraret itaque vehementer sacerdos aut clericus, ad propagandam in mentibus cordibusque hominum fidem christianam, morumque probitatem principaliter vocatus, si hunc ipsum nobilissimum finem, cui ex mente Salvatoris omnia, pro re nata, ipsam vitam suam debet immolare, patriotismi studio subordinaret; exempli causa tempus, ediscendis ad debite exercendam curam animarum necessariis disciplinis destinatum, patriae literaturae consecrando. Salvator noster et Paulus Apostolus, sincero licet patriae amore animati, tamen totis viribus, ac diurnis nocturnisque studiis in propagandum regnum Dei incubuerunt sic, ut nihil tam pretiosum tamque momentosum existimarent, quod non principali huic suae destinationi foret subjiciendum. — In gravem porro errorem inciderent, qui patriotismum in resistentia erga legitimi Principis jussa, inque publicorum magistratuum vilipensione reponerent, aut oppositionem idgenus et vilipensionem cum veri patriotismi idea componi posse arbitrarentur. Corpus enim, cujus membra in dissonantia, continuaque repugnantia sunt cum proprio suo capite, nequaquam in normali constituitur statu, nec prosperare potest, aut optata perfrui salute. Hinc est quod idem divinus Salvator noster, idemque Doctor gentium, cum caeteris Apostolis, sincero patriae suae amore non obstante, haud unquam legitimis restiterint potestatibus, imo et exemplo et verbis docuerint, reddenda esse omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, cui timorem timorem, cui honorem honorem; palamque edixerint subjec-

tos nos esse debere omni humanae creaturae, et quidem propter Deum; sive regi quasi praecellenti, sive ducibus tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum. *Quia haec est*, ait Paulus Apostolus, *voluntas Dei. Obedite*, scribit ad Hebraeos, *praepositis vestris. et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant et non gementes: subjiciendo: hoc enim non expedit vobis.* Qui itaque contrarium agunt, contraria docent et praedicant, genuino, et spiritui Evangelii consono patriotismo non sunt animati. — Sed praesertim deflectunt a recto tramite ii, qui vilipensionem, contemptum, aut plane odium aliarum nationalitatum cum genuini patriotismi conceptu componi posse existimant. His enim semper laeditur lex charitatis, quae tamen suprema censeri debet, et quae sola vinculum constituit perfectionis. Dominus Jesus Salvator noster non obstante patriae suae amore, omnes homines tanta complexus fuit charitate, ut non dubitaret acerbissimam pro iis mortem oppetere. Doctor gentium Paulus Apostolus incredibiles sustinuit afflictiones, calamitates et pericula, ut omnes gentes ad salutarem lucis evangelicae perduceret agnitionem. Caeteri Apostoli, licèt omnes origine Hebraei, variis tamen variarum nationum loquebantur lingvis, variasque cum propriae vitae periculo obibant gentes, ut omnes Christo lucrifacerent. Et in hoc recte sita est stupenda illa ac antehac inaudita in mundo fidei christianae perfectio, quod, sublato — hebraeos inter et graecos, servos inter ac liberos discrimine, omnes omnino homines uno conjungeret amoris vinculo, eidem subjiceret legi charitatis. Itaque patriotismus, qui sacrosanctae huic repugnat legi, spurius est, nec virtutis sed vitii habet rationem.

Plura adhuc de corruptelae speciebus, tempori nostro propriis, possem memorare. Sed ne modum excessisse videar, missa facio caetera. Unum tamen nequeo penitus silentio praeterire. Quo magis deficit fides christiana in mentibus cordibusque humanis: eo concupiscentia carnis ampliores facit progressus; eo cuncta libidinis genera omnes societatis classes vehementius invadunt, ac deplorandum in modum populantur; ut adeo pestifera haec contagio ipsas jam invadat ruricularum casas, imo nec impubi parcat aetati. In tanta mali inundatione ipsi etiam, qui se sacerdotali sacrarunt vocationi, praesens incurrere possunt periculum, nisi omnes illas adhibeant cautiones, quas timor Dei, intemeratum castimoniae studium, ipsaeque prudentiae leges deposcunt. Itaque vos hortor, filii dilectissimi, ut hac in parte nil unquam a vobis desiderari patiamini; signanter autem ut non tantum omnem turpis idgenus inquinationis umbram, sed cunctas etiam, quae ad illam ducere possent occasiones vitetis quam sollicitissime. Nisi enim primis restiteritis initiis, vix minitanti vos periculo eripietis. Et, si semel hujus viperae accepistis morsum, vulnus inflixistis animae vestrae, quod aegre admodum recipit medicinam. Scitis vos ipsi, ac iteratis exemplis didicistis, optimae secus spei juvenes, clericali jam veste indutos, per infelicem vitii hujus contagionem, ex orbita vocationis suae fuisse excussos, et, qui olim sanctissimis religionis finibus insigniter poterant deservire, multosque in virtutis semita ad aeternam ducere beatitatem, in turbidos saeculi fluctus fuisse rejectos, cum manifesto et temporalis, et aeternae suae felicitatis periculo.

Non possum, hic loci non memorare, abnormem illam, ab aliquo tempore in patria nostra invalescentem consvetudinem, quod nimirum occasione primiciarum, saltus et choreae in profundam persaepe noctem continuatae, soleant asservari. Mira sane idearum confusio, sanctissimum religionis nostrae actum ei recte copulare sensualium distractionum generi, quod e diametro est oppositum christianorum morum rigori, quodve nunquam paene caret infringendae modestiae, ipsius adeo castimoniae periculis. Vere talibus dici posset, quod Elias ingeminavit populo Israëlitico: *Usquequo claudicatis in duas partes? si Domi-*

nus est Deus, sequimini eum; si autem Baal, sequimini illum. Et magis etiam accommode cum s. Paulo Apostolo: *Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quae enim participatio justitiae cum iniquitate? Aut quae societas lucis ad tenebras? Quae autem conventio Christi ad Belial?* Sed plane abominabile est, summeque reprobandum, si inter ipsos clericos et sacerdotes reperiantur, quos non pudeat partem capere in idmodi levitatibus, ipsoque saltu cum sexus sequioris personis. Si verum est, quod jam gentilis Philosophus dixit, nemo saltat sobrius: quid dicamus de sacerdote, de Clerico christiano, qui tantopere oblivisci potest ejus, quem status clericalis suapte natura deposcit, pudoris, decori, et gravitatis. Cavete itaque filii dilectissimi, ne ullus vestrum, sub quocunque demum praetextu culposae idgenus levitatis culpam sibi adsciscat, quae eum gravissimae redderet animadversioni obnoxium.

Pro coronide eo iterum vestram excitandam censui adtentionem, ut jugiter memineritis, bimestralem a studiis vacationem Seminarii alumnis refocillandarum mentis et corporis virium causa, non vero eo fine concedi, ut pretiosum tempus inani otio conterant. Scitis innumera esse, quae vobis adhucdum desunt ad perfectionem; esse quam plurimas rerum notitias, quas privata vobis adsciscere potestis contentione, quaeve in futura vestra vita insignem vobis praebere queant utilitatem. Ut unum saltem exempli causa memorem; ex propria scitis experientia, quanta relate ad debitum in studiis progressum, e minus perfecta lingvae latinae cognitione vobis emergant impedimenta? Certe, si per tempus vacationum, vel unam dietim horulam attente legendo alicui e classicis latini sermonis authoribus consecraveritis, multum ad minuendum hoc obstaculi genus facietis: ampliorem quippe vobis adsciscetis notitiam lingvae, quae vobis tantopere necessaria est ad debitos in studiis theologicis profectus faciendos; quae materna est Ecclesiae Catholicae lingva, et qua praecipui sacratiorum literarum thesauri

continentur, qua denique cuncti per orbem terrarum dispersi catholici, ceu quodam glutine in unum corpus coagmentantur.

Haec si corda vestra penetraverint paterna monita mea, filii dilectissimi! adspirante divina gratia fiet, ut imminentes ferias, sancte custodita conscientiae vestrae puritate, servatoque honore et status et instituti, cujus membra estis, sic transigatis, ut refectis et spiritus et corporis viribus, laeti revertamini ad continuandum cursum vestrum in palaestra, quae ducit ad metam sanctae vocationis vestrae. Quod ut in plena mensura eveniat, paternam vobis benedictionem toto cordis affectu impertior.

Ad alumnos Seminarii Zagrabiensis mense Julio 1864.

Dilecti filii!

Quem concludimus scholasticus cursus, non obstante, quam intuitu subsistentiae materialis experti sumus, non levis sane molestiae et perplexitatis, inter prosperiores, quive albo calculo in annalibus dioecesani nostri Seminarii notari mereantur annos, est reputandus. Quippe quod adtinet ad profectum in spiritu ecclesiastico, in pietate, morumque innocentia: eos vos, perpaucis exceptis, exhibuistis, filii dilectissimi, ut non modo nulla paterno meo cordi infligerentur vulnera, sed etiam insignia adcrescerent solatia. Qua in re, siquidem praecipuus, cunctosque caeteros pondere, ac dignitate sua praecellens Instituti finis sit repositus; non possum non hoc nomine et Ecclesiae ac dioecesi, et vobismet ipsis sincero corde congratulari. In studio literarum, demptis itidem nonnullis, qui vel requisitorum talentorum, vel sufficientis diligentiae et contentionis defectu, minus meis, Dominorumque Professorum desideriis responderunt, debitum plerique vestrum, complures etiam laudabilem atque adeo insignem fecerunt progressum; quod jucundum pariter mihi praebet vadimonium, vos decursu sacerdotalis vestrae vitae, excolendo dominico agro utilem, salubremque operam navaturos. Sed et in obtutu sanitatis ac physicae vestrae valetudinis, annus hic scholasticus omnimode prosperior fuit, quam proxime praeterlapsi anni, quibus non tantum bene multi

variis affligebantur invalitudinis generibus; sed et complures praematura sunt morte erepti, cum magno rei bonae detrimento, nec modico nostrum omnium moerore. Aedes quoque Seminarii nonnullas, easque prout utiles, sic dudum exoptatas nactae sunt accessiones, melius dixero transformationes. Signanter Capella domestica, quae cultus divini dignitati minus respondebat, imo communi, etiam medices peritorum, judicio, praecipuam tantarum istarum aegritudinum suppeditabat ansam, ad eum, prudenti, intensaque superiorum vestrorum solertia, posita est statum, ut omnino et sublimi suae, divini quippe cultus congruae celebrandi, destinationi deserviret, et Instituto aedibusque Seminarii honori ac ornamento esset, et denique alumnatus indigentiis, physicae etiam salutis obtutu, plene responderet. Sed et, non obstante gravi perplexitate, in quam peculium Instituti, ex inaudita paene anni proxime praeterlapsi, in inferioribus Hungariae partibus, Banatuque Temesiensi, sterilitate, conjectum fuerat, non tantum currentibus ejus necessitatibus rite provisum; sed pauperiorum quoquealumnorum, intuitu vesticularum, indigentiis, quoad saltem fieri poterat, subventum fuit, imo et nonnulla, quae ad honestam animorum vestrorum exhilarationem pertinent, sunt procurata.

Dignum itaque et justum est, ut horum omnium nomine imprimis Patri coelesti, a quo bona cuncta proveniunt, tenerrimas agatis gratias, filii dilectissimi; tum vero, ut haec, velut totidem superiorum vestrorum sinceri erga vos amoris, vivaeque commoda vestra promovendi sollicitudinis argumenta agnoscatis.

Consveveram vobis ad ferias authumnales discessuris. aliqua paterna impertiri monita, quae mentes vestras a pernicioso errorum contagione tuerentur, cordaque vestra pura et intemerata custodirent tunc etiam, dum severiori disciplina soluti, magisque vobismet ipsis relicti, praesentiori expositi esse tis periculo, quidpiam adtrahendi multiformis illius corruptelae, quae nostris cumprimis temporibus tantam in hominum ingeniis

animisque stragem operatur. Svadebam eapropter vobis, quo poteram impensius, ut in quaecunque vos incidere contigerit rerum adjuncta, nunquam recederetis a contracta in Seminario matutinarum, vespertinarum, aliarumque precum et meditationum consvetudine; ut quotidie assisteretis sacrosancto Missae sacrificio omni cum devotione et pietate; ut singulis itidem diebus, ante cubitionem serio examini subjiceretis conscientias vestras indagantes, an non a virtutis et perfectionis christianae tramite quaqua ratione vos aberrare contigerit? Svaseram porro, ut frequentius, digna in Sacramentis Poenitentiae et Eucharistiae participatione, et contractos mundanos pulveres ablueretis, et contra cuncta moralis contagionis genera pectora vestra praemuniretis. Svaseram etiam, ut in vestitu, capillorum conformatione, sed et in omni actione ac conversatione vestra, a quavis mundanae vanitatis specie abstinentes, vos dignos exhiberetis vocatione vestra; jugiter memores partem calicis et haereditatis vestrae esse Dominum, cujus, servitiis vitam vestram sacrare decrevistis. Svadebam praeterea singulariter, ut ab omni cum sexus sequioris personis familiaritate quam diligentissime vos custodiretis; ne fortasse accepto venenoso viperae morsu, quieteque animi amissâ, ab ipso, quem ingressi estis salutaris vocationis tramite vos contingat detorqueri. Svaseram denique ut durantibus etiam feriis, studia literarum nequaquam penitus intermitteretis; sed quae ampliori in futurum progressui conducere vobis possint, anticipare, aut quorum penitiorem notitiam vobis in tractandis literis impedimento fuisse experti estis, suppletorie nota vobis reddere adniteremini. Quo quidem praecipue pertinet latini sermonis plenior cognitio et facilitas, cujus defectum quam plurimis vestrum in pertractandis theologicis studiis, non leves posuisse obices, ipsi magis experti estis, quam ut plura in rem verba me facere oporteat.

Et haec recte sunt, quae et in praesentia vobis iteratis studiis deberem commendare. Sed vero pluribus jam vicibus,

explicatius etiam inculcata, nolim denuo repetere, nec quidquam hac vice melioris me facere posse existimavi, quam si in vicem paternae exhortationis, vobis sublimitatem vocationis sacerdotalis, summamque ejus pro humano genere salubritatem paucis ob oculos sisterem, quo possem vividioribus eam coloribus adumbrando. Sic enim mihi persvadeo, si de sublimitate vocationis vestrae plene convicti, ejusque sensu animati fueritis: vos nihil eorum, quae superius memoraram, aut secus specialius memorare potuissem, a vobis desiderari passuros.

Nemo certe haud plane rudis eventuum mundi, ignorare potest, fidem christianam fidelemque ejus custodem, Ecclesiam catholicam, nunquam tot, tamque acribus hostium impugnatam fuisse assultibus, quam quibus impugnatur temporibus nostris. Ex historia, astronomia, geologia, chronologia, critica, et philosophia nova in dies desumuntur arma, tum contra singularia dogmata fidei, tum etiam contra totam ejus compagem; imo vix nominari potest scientiae aut literarum genus, quod non in ejus dirigatur perniciem. Fitque id omni possibili cum eruditionis apparatu, nec minori cum diligentia quam pertinacia, vafricia, odio, et impetus vivacitate. Eum jam res adtigit temeritatis gradum, ut quod antehac tectis nominibus, ocultisque fiebat cuniculis et artibus, ipsa Salvatoris nostri divinitas, aperta fronte, et cum diabolica quadam arrogantia, subque aegide regiminum, palam indifferentismi principia profitentium, impugnetur. Tristia haec sane sunt, et acerbis lachrymis deploranda. Nemo porro ignorat, tantopere, apud eos etiam, qui regendis populis praesunt, invaluisse principia fidei christinae repugnantia, ut ipsa justitiae et aequitatis naturalis idea obscurata, aut plane interversa videatur, juraque nationum jam paene soli inniti videantur, vis majorisque potentiae fundamento. In qua universali mentium animorumque corruptione jam non potest mirum videri, ipsius visibilis Ecclesiae capitis, Christi in terris Vicarii sortem ad tristissimum, in quo actu consistit statum

esse depressam. Et vero exhinc recte dignoscitur, totius Ecclesiae conditionem, omnino acerbam esse et deplorabilem: Tantopere enim affecto capite, corpus ipsum sanitate perfrui non potest imo gravibus exagitetur convulsionibus est necesse. Sed et in moribus hominum, vitaque quotidiana, tanta invaluit rerum ad fidem pertinentium incuria, atque adeo vilipensio, ut omnino apud multos, vix aliqua religiosi spiritus, christianaeque pietatis supersint vestigia. Vel an negare quis possit, ex ea, quae cultior compellari amat, hominum classe quam plurimos adeo refrixisse in exercendis religionis actibus, ut rarissime publico divino cultui intervenire, rarius adhuc in sacramentis Poenitentiae et Eucharistiae participare videantur. Haec damnabilis acaediae contagio civilem etiam, imo ruralem fidelium classem passim corripuit, magisque in dies inficere observatur.

Quemadmodum haec nemo, qui oculos habet ad videndum et aures ad audiendum, negare potest: sic nec ullus prudens inficiabitur, exhinc maxima humanae societati portendi pericula, metumque subversari haud sane inanem; si hic infestus religioni spiritus, haecque, ut ita dicam, practica incredulitas magis adhuc invaluerint, latiusque fuerint propagata, homines profundissimo corruptelae moralis caeno fore mergendos, infelicissimaque vetustae gentilitatis et barbariei tempora inter christianas etiam gentes revictura.

His malis optato cum successu nonnisi sacerdotium occurrere potest, et mederi. Quemadmodum enim olim mundo, gentilitatis tenebris obruto, et carnis ac oculorum concupiscentiae immerso, remedium adlatum fuit, per delectos illos viros, quos Salvator salem ac lucem esse voluit humani generis, misitque in mundum universum praedicaturos Evangelium omni creaturae: sic et hodiernae mundi corruptelae tantum Apostolorum successores, sacerdotes novae legis, efficacem adferre possunt medicinam; utpote qui et hodie sunt dispensatores inaestimabilium mysteriorum Dei, quorum manibus creditum est depositum

sacrum aeternarum veritatum fidei, qui propterea electi sunt de mundo uncti Spiritu sancto, et assumpti in Sanctuarium, ut fortiter dimicantes adversum potestates harum tenebrarum, sustineant, defendant, quove licet amplius propagent divinum in terris regnum. Haec est sacerdotii christiani destinatio, haec ejus vocatio; quam quidem cunctis vocationibus nobiliorem sublimioremque esse nihil opus est argumentis demonstrare. O vere beatum sacerdotem, qui hanc suae destinationis sublimitatem perspiciens, ejusque sensu in intimo cordis penetratus, secutus est nutum vocantis Dei; se totum sanctae huic vocationi immolando; qui toto vitae suae decursu, omnique virium suarum contentione ei studuit respondere, donec prospere absoluto temporaneae hujus peregrinationis cursu, in sinu conquiesceret Salvatoris cui se suaque omnia sacravit, et qui fidelium servorum suorum est merces magna nimis. Beatum inquam sacerdotem idgenus, nec propterea tantum beatum, quod tutissimam sibi delegerit viam ad feliciter attingendam aeternae suae destinationis metam. Sed propterea quoque beatum, quod in vicem vilium, caducorumque hujus vitae gaudiorum jugi, maximoque jam his in terris perfruatur solatiorum affluxu, e laeto cumprimis conscientiae suae testimonio manantium: utpote qui persentiscat, se multis proximorum suorum, in ruinam properantium, fuisse ad salutem; erudivisse multos in tenebris ignorantiae caecutientes, multosque direxisse in via et temporaneae et aeternae prosperitatis; persentiscat denique, se hoc pacto pulcherrime demonstrasse dilectionem suam erga eos, quibus sangvine jungitur, imo erga universam patriam suam, cui tenero junctus est affectu.

Quod si haec de nobilitate, sublimitate, et salubritate vocationis ecclesiasticae, cui vestra addixistis nomina, persvasio intime penetraverit pectora vestra, filii dilectissimi, sique eam jugiter et studiose foveritis in cordibus vestris; fiet, divina, quae piis haud deesse solet consiliis, gratia adspirante, ut ii quidem vestrum, qui consumato seminaristico cursu, jam ad Sanctuarii

limina pertigerunt, purissima intentione magnoque et resoluto animo ingrediantur, quae ipsis aperta est nobilissimam viam, ac subin uberem operentur contentionis suae fructum; caeteri autem, qui exactis feriis, ad hoc iterum sacrum plantarium reversuri sunt, nihil quod vocationi suae adversum, seminarii honori noxium, conscientiaeque suae puritati derogatorium foret, comittant, ac subin refocillatis mentis et corporis viribus, hilares redeant ad continuandum in praestituto suo stadio cursum. Quod ut eveniat cunctis et singulis, toto cordis affectu precor, eoque fine paternam vobis benedictionem amanter impertior in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

Mense Julio 1865. ad alumnos Seminarii.

Charissimi filii!

Ea est imbecillis naturae nostrae indoles, ut continuam seu mentis seu corporis virium adstrictionem sustinere diu non possimus, sed per certa temporis intervalla, ab intensiore labore abstinere, sicque adtritas majori contentione vires refocillare cogamur. Valet id de omni classe hominum, omnique aetate; sed valet imprimis de iis, qui mente laborant, et de aetate juvenili, quae necdum ita evolutas obfirmatasque habet seu spirituales seu materiales vires, ut eas sine periculo et graviori noxa absque interruptione possit adstringere. Hinc jam a majoribus nostris sapienter est institutum, ut in palaestris literariis, ipsis etiam cleri junioris Seminariis, post emensos singulos cursus scholaris annos, bimestre incirca spatium interjiceretur refocillandarum virium scopo destinatum.

Hoc momento in limine idgenus periodi constituimini filii dilectissimi! quo nomine sincere vobis congaudeo. Sed quemadmodum parte ab una grate afficit animum meum, hoc vos perfruituros restaurandarum virium remedio: sic parte ab altera, non modica, fateor, repleor sollicitudine, quotiescunque juventutem ad futurum altaris ministerium, nobilissimumque sacerdotale munus vocatam, salutari Seminarii disciplina solvi, limina domus egredi, variisque mundanorum hominum caetibus misceri video. Non ignoro etenim, imo praesentissima mihi teneo, multifaria illa, nec raro gravia pericula, in quae incidere potest,

et docente tristi experientia non rarro incidit juvenis clericus, omni paene superioritatis suae inspectione et directione destitutus, proprioque, ut ita dicam, arbitrio relictus.

Jam, si abessent caetera omnia, hoc ipsum, quod clericus in libertate positus, nullis diurni ordinis regulis, quemadmodum fit in Seminario, ad absolvendas matutinas, vespertinas aliasque preces, ad quotidianam sacri Missae sacrificii auditionem, ad lectionem spiritualem, vespertinumque conscientiae examen attineatur, non exiguam in mente cordeque ipsius operari potest pietatis laxationem, nisi firmo sit munitus proposito, propriae voluntatis, conscientiaeque suae robore supplendi seminaristici ordinis rigorem.

Si porro considerem, quam facile juvenis, etiam ecclesiastica veste indutus, incidere possit in consortia hominum debilis fidei, aut plane perversa de religione principia foventium, quorum hac cumprimis temporis nostri iniquitate, ingens est numerus; si expendam, quam leviter inescari possit impiorum pagellarum malorumque librorum, mundum innundantium, lectione, quae sane in multis jam concussit, atque adeo peremit religiosam fidem: non possum non vivo affici metu, ne unus saltem alterve vestrum in idgenus incidat scopulum; quo quidem nullum funestius ei accidere posset infortunium. Concussa enim in homine fide: totum et temporaneae et aeternae felicitatis ejus aedificium in suo fundamento concutitur. *Quidquid meriti*, ait S. August. super Joannem, *quidquid beatitudinis anima susceptura est, ex fidei fundamento procedit.* Et merito exclamat S. Ambrosius in suo libro de virginit. *O thesauris omnibus opulentior fides, o virtutibus corporis omnibus fortior! medicis omnibus salvatior!*

Porro quanta clerico, optima licet voluntate praedito, emergunt pericula e crebris istis, in patria nostra adhucdum frequentari solitis commessationibus, quae vix aliud oculis exhibent, quam pocula, picta folia, venatoria arma; in quibus saeculares passim resonant cantilenae, quandoque minus etiam castigatae, imo castarum aurium offensivae; in quibus non alii, quam expertes modestiae, insulsi, sobriae prudentiae repugnantes, non raro debitae superioritatis reverentiae adversi discursus miscentur; quae ut uno totum verbo exprimam, magis contubernii militaris, et dissolutae tripudiationis, quam graves viros, ac imprimis ecclesiasticos et sacerdotes decentis conversationis speciem exhibent? Quam facile inconvenientiae, imo licentiae idgenus exempla, humilitatis et modestiae sensum in clerico labefactare, sensualitatis varii generis lenocinia, licentiae item ac audaciae spiritum excitare, vitiique illius semina jacere possunt, quo nullum est, seu natura sua abominabilius, seu in sequelis suis funestius, seu ecclesiasticae vocationis sanctimoniam magis dedecens; intelligo infelicem spirituosis potibus indulgendi consvetudinem.

Denique, quod his etiam pejus est, clericus, mundanos inter, eosque diversae classis homines vivens, nisi firma ipse suis inclinationibus ponat repagula, facile intimiori cum aliqua sexus sequioris persona familiaritati potest implicari, sicque animi sui amittere tranquillitatem, et a recto, quem ante secutus est, tramite, in periculosissima, ipsam ejus vocationem funditus evertentia devia inclinari. Tristissima sane, nec pauca recentiorum etiam temporum docent exempla, praeclaros secus juvenes, qui in sacerdotali, quem ingressi fuerunt, vitae cursu, et propriam suam temporalem non minus ac aeternam felicitatem operari, et multos in via aeternarum veritatum, morumque sanctimonia ducere ac confirmare, sicque et ecclesiae Dei, et patriae suae eximia praestare poterant servitia, in hunc scopulum incidisse, tristeque subiisse nanfragium.

Cum tanta, tamque varia sint, in quae incidere potestis pericula, pro sincero, quo erga vos, filii dilectissimi, feror affectu, hac quoque vice, quemadmodum prioribus annis facere

consveveram, nonnulla discessuris vobis, impertiri volui paterna monita, quae paucis huc reducuntur.

Contra relaxationem pietatis, ac vitae spiritualis, quam initio hujus meae allocutionis memoraram, nullum sane efficacius esse potest praesidium, quam ut singuli vestrum firmissime sibi proponant, quod ab iis, quibus in Seminario asseveruntt, devotionis actibus ne hilum quidem durantibus feriis, sint discessuri; quod proinde matutinas, aliasque praescriptas preces, cum vespertino conscientiae examine, adamussim sint persoluturi; quod singulis diebus, sacro Missae sacrificio cum omni pietate adstituri, confessionem sacramentalem, prout in Seminario consveverant, omni cum conscientiae teneritudine peracturi, devotissimaque Panis angelorum sumptione animas suas saepius roboraturi; et sacrae scripturae aliorumque piorum librorum lectioni per mediam saltem horam quotidie operam navaturi. His pietatis operibus et exercitiis unice poterit Dei et Salvatoris Jesu Christi amor ali et sustentari in cordibus vestris, filii dilectissimi; his solum mediis vivae fidei et religionis spiritum conservare in pectoribus vestris, vosque a peste acediae, qua nihil fere, praesertim pro clerico vel cogitari potest, funestius, poteritis praeservare.

Contra pericula, quae ex impiorum librorum ac pagellarum lectione, et ex conversatione cum hominibus dubiae aut nullius plane fidei, in vos derivari possent, optimum, tutissimumque est medium, sollicite vitare libros, pagellas, homines idgenus; praesertim cum juvenes adhuc sitis, nec seu tam ampla profundaque rerum cognitione, imbuti, seu ea principiorum firmitate jam praediti, ut tuti esse possitis, vos speciosis adeo, varieque animum demulcentibus illis artibus, quibus inimici fidei, nostra praesertim aetate, uti solent, victoriose semper valeatis resistere. Satius est vitare pugnam cum inimico, splendido armorum apparatu proviso, ac praeterea astuto passim, omnisque generis fallaciis exercitato, quam inconsulte in arenam descendere, et gravia recipere vulnera, aut plane misere succumbere. Et, qui picem tractant, penes summam etiam attentionem, evitare vix possunt, ne contactu ejus plus minusve inficiantur.

Idem vitationis, et, ut ita dicam, fugae remedium consultissime, una efficacissime adhibebitis filii dilectissimi, adversum illa, quae tertio loco memorabam discrimina, quippe e comessationibus, et dissolutis societatibus manantia. Comessationes idgenus non raro cum S. Augustino vere dici possunt, *tempestas linguae, procella corporis, naufragium castitatis, amissio temporis, insania voluntaria, ignominiosus languor, animae corruptela.* Et exinde jam patescit, quam difficile sit, juveni praesertim homini, quantumvis bonis imbuto principiis, optimeque morato, partem in iis capere, quin aliquod innocentiae, aut saltem suae ad sectandum perfectionis christianae tramitem dispositionis detrimentum patiatur. Nec quisquam dicat, juvenem clericum sua ab idgenus societatibus subtractione, notam scrupulosi, aut tetrici hominis incurrere. Tantum homines dissolutae vitae, aut minus castigatorum principiorum ferre possunt idgenus judicium, quod nullam meretur attentionem, et omnino vilipendendum est. Probi omnes et imprimis sacerdotalis modestiae aestimatores, hanc agendi rationem adprobabunt. Ipsi illi, sic dicti liberalium principiorum sectatores, majori semper, credite mihi, erga idgenus clericum ferentur aestimio, quam erga eos, qui rem cum ipsis communem agere consveverunt, quantumcunque illos ad oculos laudent, et suis cummulent encomiis.

Sed salutare hoc sollicitae vitationis et fugae remedium nuspiam magis commendabile est atque adeo necessarium, quam relate ad illa, quae ex familiari cum sexus sequioris personis conversatione juveni homini, etiam clerico emergunt pericula. Sicubi, hic certe, hostis ad ostium est repellendus; si enim accessum ei ad cordis tui penetralia praebueris, vix eum amplius valebis seu expellere seu debellare. *Inter omnia christianorum*

certamine, ait S. Augustinus, *duriora sunt praelia castitatis: nam ibi continua pugna, rarior victoria.* Vigilate itaque, dum adhuc tempus est, dilectissimi, et tristissimas, quae ex unico inconsiderato hoc in genere passu, vobis potestis adsciscere, sequelas cogitate. Expendite, nec unquam obliviscamini aurea S. Gregorii Papae verba: *Ex suggestione oritur cogitatio, ex cogitatione affectio, ex affectione delectatio, ex delectatione consensus, ex consensu operatio, ex operatione consvetudo, ex consvetudine desperatio, ex desperatione peccati defensio, ex defensione gloriatio, ex gloriatione damnatio.*

Haec sunt, quae vobis, ad ferias discessuris peculiariter censui commendanda. E caeteris, quae dicere adhuc potuissem, unum tantum memorabo, quod non parvi pariter momenti esse existimo. Vetus, tritumque proverbium est: *Otium est pulvinar diaboli.* Et reapse, pro juvene praesertim homine, vix quidquam potest esse periculosius, quam omni seria carere occupatione. Et quemadmodum nimia facultatum, etiam mentalium, adstrictio, earundem enervationem potest procreare: sic longior cessatio ab intellectualium aeque ac corporalium virium nostrarum exercitio, damnosum inducit torporem, imo non raro hebetudinem. Nec minus verum est alterum illud adagium: *ars longa vita brevis.* Quodsi dies vitae nostrae in totidem annos possemus elongare, tamen adhuc innumerae remanerent cognitiones, quarum comparatio si non necessaria, certo saltem multum nobis, atque per nos aliis hominibus, Ecclesiae item ac patriae posset adferre utilitatis. Amissa quaecunquae temporalia bona, dupplicata industria possunt plerumque iterum recuperari, sed tempus, quod ad operandam nostram aliorumque, imprimis aeternam, tum etiam temporaneam felicitatem divina nobis concessit benignitas, nullo modo potest revocari. Ideo sapienter jam monuit antiquus poëta: *carpe diem.* Ego quoque svadeo vobis filii dilectissimi, ne bimestris, quod ab ordinariis studiis vestris liberum habituri estis spatium, inutiliter elabi patiamini, sed quoad saltem licuerit, ejus usum in augendas cognitiones vestras, insigni certe olim vobis utilitati futuras, impendere satagatis.

Caeterum, dilectissimi! probatissimi asceseos magistri ad faciendos optatos in via perfectionis christianae progressus, duo praecipue nobis commendant: diffidentiam erga nosmet ipsos, et fiduciam erga Deum. Diffidentia erga nos cautos nos reddit et circumspectos, sensumque humilitatis enutrit in cordibus nostris, quae caeterarum virtutum mater est, quemadmodum superbia faecundissima vitiorum parens esse dignoscitur. Fiducia vero in Deum nos consolatur, roborat in quotidianis nostris cum carne, mundo, et diabolo praeliis. Sustentatur autem salutaris haec fiducia potissimum assiduo studio orationis, quem proinde vobis iterum ac iterum, quove possum impensius commendo.

Denique generalis instar panaceae adversus quasvis a recto tramite aberrationes, commendo vobis, ut sublimitatem vocationis, quam amplexi estis, jugiter prae oculis feratis mentis vestrae sic, ut ejus ne momento quidem obliviscamini. Vocationis ecclesiasticae, ut ipsi scitis, natura est et destinatio, ut quoad saltem potest resistat tristi, in quam peccato vitiata natura homines mille indaginibus trahit, corruptioni; ut mortales omni meliori modo ducat ad Deum, bonitatis et verae prosperitatis fontem. Omnes itaque, qui huic, nobilisimae sane, vocationi se sacraverunt, huc intensa ac jugi virium suarum adstrictione connitantur, ac cuncta, quae ei repugnant, sollicite evitent, est necesse, turpi secus semetipsos contradictioni involuturi, ac merito infidelibus, ac degeneribus coelestis Patris filiis accensendi. Id vero nunquam fortasse magis necessarium fuit, quam infelicibus his temporibus nostris, quibus fides christiana, unica illa salutis humani generis tabula, in dies attenuatur magis; quibus vitiorum, et impietatum inundatio tantopere invalescit, ut ipsi naturalis justitia, pudoris, et honestatis conceptus e mundo evanescere velle videantur.

*

Haec si profunde cordibus vestris impresseritis, filii dilectissimi, proque fixa actionum vestrarum cynosura vobis praestitueritis, adjuvante divina gratia, quae bonae piaeque voluntati deesse non solet, imminens feriarum authumnalium tempus inoffenso pede, laeto animo, ac tranquilla conscientia percurretis, et corpore ac spiritu refocillati, ad hoc sanctuarium revertemini, cursum sacrosanctae vocationis vestrae magnis animis continuaturi; quo fine paternam meam vobis toto cordis affectu impertior benedictionem in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Ad alumnos Seminarii cum exitu anni scholastici 1865-6.

Dilecti filii!

Bellicosi, quibus involuti sumus, motus, caeteras inter, nec paucas nec leves curas, illam, gravem sane, animo meo injecerunt sollicitudinem, ne occupato pro aegris, laesisque militibus Seminario, ipse apud nos examinum semestralium cursus intercipiatur. Haec mea sollicitudo, sint Deo laudes, evanuit: cum examina nostra tranquille et ordinate potuerint terminari.

Quid dehinc futurum sit? nedum cum certitudine, sed nequidem probabili aliqua conjectura possumus divinare. Evenire potest, praesertim si durante infelici hoc bello, vel etiam pace conclusa, prout accidere passim solet, contagiosi morbi eruperint, ut aedes quoque Seminarii aegris militibus repleantur, talisque occupatio, prout itidem fieri consvevit, in longius tempus extendatur, sic ut integri etiam scholastici anni cursus debeat emanere, vosque longiori tempore extra Seminarii septa per diversa loca, vobis ipsis relictos degere oporteat.

Hoc obtutu vester ad ferias discessus, hac vice multo majorem animo meo incutit sollicitudinem, quam incusserit cunctis prioribus, toto Episcopatus mei tempore evolutis annis. Metuo quippe vehementer, ne in infelicem hunc casum, vester in literis profectus grave patiatur detrimentum, neve successio

rite praeparatorum in vinea Domini operariorum interrumpatur, sicque sat tristis caeteroquin jam in Archi-Dioecesi nostra Sacerdotii defectus, cum ingenti animarum detrimento, amplius adhuc augeatur.

Sed quod hoc etiam magis angit cor meum, est, ne ille, quem sub disciplina Seminarii hausistis, et plurium etiam annorum decursu excoluistis, spiritus tristem in modum dissipetur, in nonnullis vestrum plane evanescat, sicque in Sanctuarium penetrent homines viva fide destituti, corrupti mundi principiis infecti, sensum lenociniis indulgentes, et praeter sacerdotalem habitum, vix quidquam vocationis ecclesiasticae cogitandi agendique sua ratione praeseferentes; quo certe vix ullum religioni et sacrosanctae Ecclesiae nostrae magis deplorandum posset damnum emergere.

Ad antevertendum hoc infortunium, nonnulla ad vos, filii dilectissimi, dirigere, hoc summe discriminoso temporis momento volui paternae exhortationis verba. Scopus aeque ac tenor idgenus exhortationis meae alter esse non potest, quam fuerit praecedentibus annis, dum occasione vestri e Seminario discessus verba ad vos faciebam. Eo nimirum dirigitur in genere contentio mea, ut vere sanctae et sublimis vocationis vestrae semper et ubique, ac in cunctis, in quae vos incidere contigerit, rerum locorumque adjunctis, jugiter memores sitis sic, ut ejus ne uno quidem momento obliviscamini.

Scitis, dilecti filii, quomodo infelicibus his temporibus nostris in dies magis invalescat incredulitas, impietas morum, omnisque generis corruptela; quae quidem tanta jam est, ut non tantum in privata hominum vita, sed et in publicis nationum correlationibus se exerat quam manifestissime. Ipsum hoc, cui involuti sumus, horrificum bellum, quid est aliud, quam triumphus iniquitatis, vafriciei, mendacis simulationis, mensuram nesciae arrogantiae, et superbiae ac audaciae nullos amplius limites tolerantis? Reapse metuendum est, ne ingens itе-

rum, magnam saltem humani generis partem corripiat calamitas, talis cataclysmus malorum, qualis, historia teste, universalem subsequi solet morum corruptelam et impietatem. Hoc evenit humano generi per diluvium universale, postquam corrupta fuit omnis caro; hoc multis populis ac nationibus, postquam a divina et naturalis justitiae lege deflexissent, seque in vitiorum abissum praecipitassent. Neque enim ipsi divinae omnipotentiae aliud suppetere videtur medium, mortales generatim a recto tramite deflectens, ad eum reducendi, sanamque iis mentem restituendi, quam via ingentium calamitatum publicarum, horrenda profusionis humani sanguinis, pestis, famis, et similium, quibus offensum supremum Numen degeneres suas creaturas castigare solet, acerbitatum.

Unicum infelicitati idgenus occurrendi remedium est, toto corde reverti ad fidei christianae et vitae innocentiae fontes, qui jam semel ex universali corruptela imo veri nominis barbarie eripuerunt humanum genus; qui unicum sunt efficax erga inundantia nos mala antidotum. In vicem perversorum, Deo, fide et justitia destitutorum axiomatum, mundus, si salvari vult, toto iterum corde adoptare debet beneficam divinae revelationis et evangelicae veritatis lucem; exuere debet arrogantem de infallibilitate humanae rationis persvasionem; compescere debet exorbitantes passionum suarum fluctus, eosque dulci et levi Jesu Christi jugo subjicere, edomare. Pro vitae et actionum suarum cynosura praefigere sibi debet non fallacia illa humani ingenii commenta, quae magis magisque inundant mentes mortalium et pectora, sed veritates, quas Deus, ejusque unigenitus Filius nobis misericorditer revelavit. Debet insuper ad moderandos malae suae concupiscentiae, et sensualitatis fluctus diligenter uti salutaribus illis remediis, ac virtutis subsidiis, quae benignissimus Redemptor noster instituit, et sacrosancta fidelibus suis propinat Ecclesia. Verbo, si mundus mitigare cupit, quibus undique premitur, calamitates, et se minitanti precipitio eripere:

fidem christianam, a qua tantopere coepit recedere, ejusque saluberrima praescripta, toto iterum mentis et cordis ardore amplectatur est necesse. Quidquid aliud egerit, incassum laborabit, nec abyssum, in quam citis properat passibus, evitabit.

Jam vero in hunc finem plurimum conferre potest debetque Sacerdotium, quod hoc praecise scopo est constitutum. Nimirum ut sit lucerna supra candelabrum posita, quae in mediis tenebris coecutienti mundo viam demonstret salutis; ut sit sal illud salutare, quod infaustae isti putredini resistat, atque adeo medeatur. Quanta sit Sacerdotii novae legis, hac in parte, vis et efficacia? manifesto documento sunt Apostoli, qui etsi perpauci numero, literarum rudes, miseri passim piscatores, nec ulla seu ingenii, seu natalium gloria insignes, terrarum orbem ab ignorantia in lucem agnitionis veri Dei, e perniciosissimorum errorum pelago in plenam veritatis claritatem, e profundo vitiorum omnis generis coeno ad puritatem morum, vitaeque innocentiam traduxerunt. Argumento est Gallia, in qua, post enormem quoque illam, quam impia philosophia induxit, fidei christianae stragem, praeclari imprimis Sacerdotii sui opera, et infatigabili zelo, religio actu laetius floret, quam in quacunque alia natione; quod quidem eo mirandum magis, quo certius constat, legislationem, et gubernium civile actu sensa et principia fovere, religioni minime faventia. Denique argumento hujus veritatis est jugis experientia, quae irrefragabiliter docet, omni hac, summa sane temporis nostri iniquitate, tamen in illis regnis, provinciis, imo et singularibus paroeciis, quae ex benignitate divina praeclaro, id vero est viva fide, exemplari vita, et debita scientiarum cultura praedito gaudent Sacerdotio, religionem, ac morum probitatem actu florere, nec incredulitatem et impietatem tantas agere potuisse strages, quantae inundarunt illic, ubi Sacerdotium in mundanas evaporavit auras, a severioris vitae recessit rigore et sanctimonia, aut turpi contabuit sacratiorum praesertim disciplinarum ignorantia.

Vos, filii dilectissimi, notabilem aliquando Sacerdotii patriae nostrae efformabitis portionem; itaque et sors religiosae probitati vitaeque innocentiae populi, a vestra magna in parte dependebit contentione, a vestro zelo, a literaria, et morali cultura vestra. Vestrum itaque erga Deum, erga patriam ac vosmetipsos officium magnopere deposcit, ut memores tam sublimis destinationis vestrae, nihil unquam, quod adversum sit, committatis; e contra, ut tota virium vestrarum contentione eo enitamini, ut nobili huic destinationi vestrae, quo licet perfectius, abundantiusque possitis respondere.

Media in praeclarum hunc finem conducentia, vobis multifarie proposita sunt decursu vitae vestrae seminaristicae; ego quoque eatenus iteratis jam vicibus determinatiora etiam vobis suppeditavi consilia. Hac vice tria tantum brevissime rememorabo, sed ad quae cuncta fere caetera, ceu ad suas reducuntur scaturigines.

Primum et praecipium est intima cordis cum Deo et Salvatore conjunctio, quae, ut scitis, prosperrime nutritur jugi orationis, piarumque meditationum spiritu, ac assidua bonorum librorum lectione. Haec sunt, quibus spiritualis vita in nobis conservatur, imo alitur, ac uberiora in dies capit incrementa. Destituta iis anima, magis magisque recedit a Deo, terrenarum rerum indaginibus amplius intricatur, tandem morte spirituali obrigescit.

Alterum, multum pariter ad praestitutum, quem memoravi, finem efficax medium est tenera conscientiae puritatis cura. Temerata enim, et peccatis deturpata conscientia pro Deo, et regno ejus tam parum potest efficaciter operari, quam parum vasa carbone infecta apta sunt mundae farinae conservandae. Puritati autem conscientiae, in tantis quotidianae vitae periculis custodiendae, certissima praebent subsidia frequens, dignaque in Sacramentis Poenitentiae et Eucharistiae participatio, sensualium appetituum refrenatio, et conscientiae examen quotidianum.

Denique tertium, cujus meminisse volui, vocationis ecclesiasticae conservandae medium est, fuga occasionum peccati. Qui familiari cum sexus sequioris personis, etiamsi probae vitae esse videantur, conversationi indulget: se manifesto jacturae castitatis exponit periculo; nec diu, quamcunque fortasse firma initio habeat proposita, a mortali animae lepra se praestabit immunem. Qui inter homines versatur, perversa seu religiosa, seu politica principia foventes, vix, ac ne vix quidem diu vitabit propriae suae perversionis periculum. Qui quaerit periculum, ait scriptura, perit in illo. Et cum perverso perverteris. Nec ullus temere confidat characteris sui firmitati. Exempla terrent. *Quibusdam*, ait S. Gregorius Papa, *saepe magnitudo virtutis occasio fuit perditionis: ut cum de confidentia virium inordinate securi essent, per negligentiam inordinate morerentur.* Idem tenendum de istis, tam frequentibus adhucdum in nostra praesertim patria conventiculis, in quibus lusibus, poculis, saecularibus nec semper rite castigatis cantilenis, liberioribusque discursibus et vociferationibus indulgetur. Boni spiritus, et modestioris genii clerici animum petulantiae idgenus principio ingrate afficiunt; sed si repetantur, minus ei reprobandae apparent; tandem earum illecebris irretitur, tamque parum eas refugit, ut in iis ipse suas reponere asvescat delicias. Jam vero quod talia prorsus repugnent vocationi ecclesiasticae, nihil opus est multis demonstrare. Sufficit vitae tenores considerare Sacerdotum idgenus conventicula frequentantium. Somnum libenter in altum diem protrahunt; ad Ecclesiam tardi sunt, ad Sacramentorum administrationem difficiles et morosi, in catechisanda pube et rudibus negligentes, in elaborandis sacris ad concionem dictionibus superficiales, properi, unctione destituti, in persolvendis ipsis per Ecclesiam praescriptis precibus inexacti, distracti, aut plane temere negligentes; nonnulli infausto se ebrietatis vitio dedunt, aut sacrilegis cum personis sequioris sexus nexibus irretiuntur.

Haec itaque, si sacrosancta, quam delegistis, vocatio semper et ubique, solis instar praefulserit oculis mentis vestrae, velut perniciosorum lapsuum illicia vitabitis quam solertissime; contra tota virium vestrarum adstrictione sectabimini ea, quae sublimitati ac dignitati status vestri congruunt: id vero est, *quaecunque sunt vera, quaecunque pudica, quaecunque justa, quaecunque amabilia, quaecunque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitabitis*, ac pretiosum, quod vobis conceditur, tempus minime prohibitarum, aut minus honestarum distractionum et voluptatum consectatione, vel turpi otio conteretis, sed necessariarum statui vestro, utiliumque cognitionum acquirendarum studio maxima saltem in parte consecrabitis.

Quod si determinata voluntate, fortique animo agendum vobis praestitueritis, potens est Deus, ut vos in medio etiam, quae vos circumdatura sunt periculorum, servet immaculatos, et puras a multifaria mundi corruptione custodiat intelligentias vestras, benignissimeque concedat, ut, reddita rebus publicis tranquillitate, anima et corpore sano, ad hoc iterum revertamini sacrum plantarium, ulteriores in praestituta vobis salutis via passus facturi. Et equidem hoc eo a vobis mihi polliceor fiducialius, quo totius hujus scholastici anni decursu enisi estis solertius, ne ullo a recto tramite devio vestro facto paterno meo, Superiorumque vestrorum cordi sensibilius vulnus infligatur. In quem finem etiam meam vobis toto cordis affectu impertior benedictionem in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Ad exordium Exercitiorum Spiritualium Cleri dioecesani, 11. Septembr. 1865 in aedibus Seminarii.

Venerabiles fratres, et filii dilectissimi!

Legimus in Evangelio Matthaei: postquam divinus Salvator noster, in medio plurimorum pro salute humani generis exantlatorum fatigiorum, assumpsisset Petrum, et Jacobum, et Joannem hujus fratrem, et duxisset eos in montem excelsum; et postquam transfiguratus fuisset ante ipsos, apparuissentque illis Moyses et Elias cum Jesu loquentes, legimus, inquam: Petrum, Apostolorum Principem, divina hujus apparitionis dulcedine inescatum, exclamasse: Domine, bonum est nos hic esse: si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Eliae unum. Idem profecto, si rite expendamus momentum spiritualium, quae dante Deo optimo maximo, occipimus exercitiorum, et nos dicere possumus. Possumus jure, ac verissime dicere: Bonum est nos hic esse; bonum est, postquam menses, annos integros, inter caducarum rerum sollicitudines, acerbas inter temporalium vitae necessitatum curas, diversi generis agitationes politicas, innumera virtutis pericula, tentationes et tanta fallacis mundi lenocinia veluti perpetuos inter tempestuosi maris fluctus exegimus; bonum est, inquam, trium saltem dierum spatium sacrare posse attentius expendendis aeternae vitae, ac propriae animae salutis rationibus. Bonum est ecclesiastico viro, de tempore in tempus, in piam se retrahere

solitudinem eo fine, ut serias secum ineat rationes, num sacrosanctae vocationi suae pro viribus semper responderit? neglecta nefors suppleat, emendanda emendet, modosque conscientiose dispiciat, salutares sacerdotalis sui muneris fructus augendi, multiplicandi, maturandi.

Sane quod Sacerdoti in operanda propriae animae suae salute insignia emolumenta praebere possint spiritualia exercitia, nemo inficiabitur, qui humanae naturae indolem attentius expenderit. In quo enim proprie consistunt haec exercitia spiritualia? Ea nos invitant, ut positis ad tempus cunctis curis caducarum rerum, et descendentes ad intima cordis nostri penetralia, omnes conscientiae nostrae recessus solerter excutiamus, plenamque moralis status nostri notitiam nobis comparare adnitamur. Exercitia spiritualia eo praecipue tendunt, ut nostras a lege divina aberrationes, cunctasquae imperfectiones nostras, vividis coloribus depictas, sistant ob oculos mentis nostrae; ut sincerum, vivumque dolorem de offensa infinita divina benignitate ingerant pectoribus nostris; suppeditent media nos a relapsibus custodiendi; innumeris istis, quibus undique impetimur tentationibus fortiter resistendi; pericula, quae concupiscentia mundi, concupiscentia oculorum, et superbia vitae nobis jugiter objiciunt, prospere evitandi; bona et salutaria proposita inserendi, enutriendi et roborandi in cordibus nostris. Quae cum efficacissima sint ad vitae sanctimoniam subsidia, imo ipsa quodammodo moralem nostram importent perfectionem: nemini ambiguum esse potest, exercitia spiritualia obtutu operandae salutis animae nostrae, insignis, ut dicebam, esse posse, et, si rite instituantur, esse debere utilitatis.

Non minus certum est, exercitia spiritualia magni esse momenti relate ad salutares fructus vocationis nostrae. Impromis enim, hoc ipso, quod innocentiam vitae, morumque in sacerdotibus probitatem operentur, mire una concurrunt ad producenda prospera curae animarum consectaria. Haec quippe

intime invicem juncta esse, et sana ratio docet et omnium temporum testatur experientia. *In plerisque*, ait S. Ambrosius, *justi aspectus admonitio correctionis est, perfectioribus laetitia est.* Et pulchre dicit S. Chrysostomus. *Misit Christus Apostolos, quasi sol radios suos, quasi rosa svavitates odoris sui, quasi ignis scintillas suas dispersit; ut sicut sol in radiis apparet, sicut rosa in odoribus suis sentitur, sicut ignis scintillis suis aspicitur: sic in illorum virtutibus Christi potentia agnoscatur.* Idem jure dici potest de Apostolorum successoribus, totoque Ordine Sacredotali. Mittimur omnes ad populos fideles et infideles, ut eos imprimis quidem exemplo vitae nostrae, dein doctrina; (nam et Salvator coepit primum facere, postmodum docere) ad pietatem in Deum, ad castitatem, mansuetudinem, justitiam, omnes denique virtutes, omnemque vitae sanctimoniam instruamus, incitemus; ut simus lux mundi, quae luceat omnibus hominibus, qui in domo sunt. Hoc praestito, praecipuam missionis, et sacro-sanctae vocationis nostrae partem implevimus. Hoc faciendo seminamus sementem, divina adspirante gratia, producturam fructum centupplum.

Insuper in exercitiis spiritualibus instruimur in multis, ad muneris sacerdotalis, curaeque animarum ministerium pertinentibus axiomatibus; praesertim in iis, quae ad rite dirigendas poenitentium conscientias possint conducere. In exercitiis dignitas summumque momentum sacerdotalis et pastoralis vocationis ob oculos nobis sistitur; calcar nobis additur et valida proponuntur motiva officii nostri partibus ad omnem amussin respondendi. Tandem exercitiorum spiritualium praecipuus finis est, fidem, spem et charitatem profunde inserere, magisque enutrire in pectoribus nostris; e quibus virtutibus, ut cunctis nobis constat, progerminant saluberrimi, quemadmodum pro nobis ipsis, ita pro iis, quos divina providentia nostris credidit manibus, fructus temporaneae non minus ac aeternae prosperitatis. —

Ex his, licet per summos tantum apices indicatis, satis impatescit, exercitia spiritualia insignis omnino esse posse utilitatis tum obtutu operandae propriae animae nostrae salutis, tum obtutu fructuose exercendi Sacerdotalis et pastoralis officii nostri.

Sed suapte pariter natura intelligitur, exercitia ut hos salutares operentur fructus, ea quam gravitas rei deposcit, cum animi dispositione, et conveniente prorsus ratione esse instituenda. Nec dubito venerabilem ductorem nostrum pro insigni pietate et eruditione sua cuncta, quae ad rem pertinent, nobis indicaturum, nec quidquam eorum, que in tam praeclarum finem conducere possint, abs se desiderari permissurum. Ego paucula tantum vobis, fratres filiique dilectissimi, indigitabo, sine quibus, ut equidem plane mihi persvadeo, rei successus, sperari non potest.

Imprimis necessarium est, ut unusquisque nostrum purissimam, nec ullius cujuscunque secundarii finis permixtione corruptam, secum adferat intentionem. Quemadmodum enim puritas auri, quarumcunque heteroganearum particularum admixtione corrumpitur; sic exercitiorum spiritualium sublimitas qualicunque intentionum, ad res caducas et temporales pertinentium, accessione suam amittit dignitatem, et quae huic intime conjuncta est, efficaciam. Scopus promovendae propriae animae, aliorumque salutis, tam sanctus est, tam excelsus, ut terrenorum pulverum adspersione non modo suum amittat splendorem, sed omnino corrumpatur.

Alterum optati exercitiorum spiritualium effectus requisitum est, ut quivis partem in iis capere volens, durationis eorum tempore, cunctis alienis se liberum servare contendat cogitationibus; missas faciat omnes cujuscunque nominis sollicitudines. Cum ingressu suo ad sacram hanc arenam, dicat quivis solitis secus occupationibus, imo et cogitationibus suis ante fores relictis: expectate hic, usquedum feliciter composi-

tis cum Deo, et conscientia mea negotiis, ad vos revertar, illuminatis fide oculis, et corde salutaribus propositis obfirmato, congruam porro vobis, si e re fuerit, operam navaturus.

Denique tertia ad desideratum sacrorum exercitiorum nostrorum effectum requisita conditio pro intima convictione mea est, ut praescriptus diurnus ordo ad amussim observetur, signanter autem stricte tenendi silentii ratio habeatur. Ordo enim est anima rerum. Et pulchre de silentio ait Gregorius: *Quasi quoddam nutrimentum verbi est censura silentii; et recte quandoque excrescentiam sermonis accipit, qui prius ordinate per humilitatem tacet. — Quot supervacuis verbis mens a silentii sui censura dissipatur, quasi tot ruinis extra se ducitur.* Item S. Bernardus: *Levis quidem sermo, quia leviter transit, sed graviter urit; leviter penetrat animum, sed non leviter exit; leviter profertur, sed non leviter revocatur; facile volat, ideo charitatem facile violat.*

Haec memorasse suffecerit. Adeamus nunc cum fiducia ad thronum gratiae Ejus, a quo omne bonum datum descendit; accedamus, anhelis suspiriis exorantes, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.

Anno 1865. cum fine spiritualium Cleri Exercitiorum.

Venerabiles fratres et filii dilectissimi!

Spiritualia, quae hodierno die concludimus, exercitia nostra, salutares sane in omnibus nobis operari poterant fructus, et relate ad moralem uniuscujusque nostrum animae statum, et relate ad efficaciam sacerdotalis pastoralisque nostrae vocationis. Poterant imprimis aeternarum religionis veritatum, signanter quae ad Deum, ad immortalitatem animae, supremumque finem nostrum, malitiam peccati et virtutis meritum adtinent, sensum, profundius inserere mentibus et cordibus nostris. Vividis depingendo coloribus, immensam Dei et Salvatoris erga nos benignitatem, poterant sincerum de peccatis et transgresionibus nostris dolorem, firmaque proposita haud unquam amplius divinam bonitatem, gravi praesertim peccato offendendi, excitare in pectoribus nostris. Poterant nos adducere ad agnoscendam vocationis nostrae sublimitatem, summumque momentum ejus, relate ad aeternam aeque ac temporalem fidelium curae nostrae creditorum, prosperitatem. Poterant nobis et vias modosque demonstrare, et motiva subjicere, omni virium contentione elaborandi in debite explendis cunctis muneris nostri sanctaeque nostrae missionis partibus. Verbo — poterant egregie respondere nobilissimo, in quem constituta sunt, fini.

Neque dubito salutares hos fructus, aut saltem semina eorum et germina, per triduana haec exercitia, omnino pro-

gnata, et profundius inserta haberi, mentibus ac cordibus uniuscujusque nostrum. Sed vero non levis me tenet sollicitudo, ne reperiantur in medio nostri, apud quos, ubi ad solitam vitae suae rationem, quotidianamque aurae mundanae consvetudinem reversi fuerint, pretiosa haec spiritualia charismata novas subeant discrimina, non modica patiantur detrimenta, aut plane subin evanescant. Ne id reapse eveniat, reverendus quidem ductor exercitiorum praeclaris nos praemunire haud intermisit consiliis et argumentis. Tamen ego quoque pro conclusione piae nostrae exercitationis hoc scopo paucula subjungenda existimavi, signanter duo memorare, quae in rem maximae esse efficaciae semper reputabam.

Alterum horum est jugis orationis spiritus. Sacerdos et pastor animarum, si suae respondere velit destinationi, vitam agere debet spiritualem. Vitae autem spiritualis aura vivificans est oratio, quemadmodum vitae corporalis necessaria conditio est aër athmosphaericus. Et sicut absque hoc aëre corpora organica vivere non possunt: ita vita spiritualis, nisi jugi oratione sustentetur, contabescit. Nec dici potest habere Deum, qui non orat, non conversatur cum Deo. Nostra, Sacerdotum vocatio est, laborare sine intermissione pro Deo; sed quomodo possumus sine Deo, sine jugi cum Deo conversatione pro Deo laborare? Pulchre dicit S. August. *Oratio est animae sanctae praesidium, Angelo bono solatium, diabolo supplicium, gratum Deo obsequium, et poenitentiae religio, laus tota, perfecta gratia, spes certa, sanitas incorrupta.* Inter tot tantaque virtutis pericula, tot tamque violentas, quibus undique circumdamur, tentationes, sine jugis orationis praesidio non possumus in via salutis perseverare. Ideo recte praecipit S. Gregorius Magnus: *Quanto graviori tumultu carnalium rerum premimur: tanto orationi insistere debemus.* Et pulchre Cassiodorus: *Oratio serenat cor, abstrahit a terrenis, mundat a vitiis, sublevat ad coelestia, reddit capacius et dignius ad accipienda bona spi-*

ritualia. Itaque sapientissime egit Ecclesia sancta catholica, tradendo manibus ministrorum suorum, cunctis anni temporibus accommodatum, precum breviarium, eosque ad devotum diurnorum ejus pensorum absolutionem, sub gravi conscientiae reatu obligando. Itaque, quod toties jam feci, hac iterum occasione, vos hortor quo possum impensius, filii dilectissimi, ut sanctae huic obligationi vestrae ad amussim satisfaciatis, nec ullis impedimentorum allegationibus, quae passim non sunt aliud, quam praetextus, ad excusandas excusationes in peccatis; nullis, inquam, impedimentorum praetextibus vos a salutari hac institutione deduci patiamini. Credite mihi, accuratam horarum Canonicarum persolutionem insigne esse vitae sacerdotalis munimentum, fecundissimum fontem spiritualium gratiarum. *Psalmodia*, ait idem citatus jam Cassiodorus, *est consolatio flentium, cura dolentium, sanitas aegrotorum; haec animae remedium, haec miseriarum omnium cognoscitur esse suffragium. Nam qui munere privatur, ab omni beneficio consolationis excluditur.* Praeclare quoque in rem loquitur magnus Ecclesiae doctor S. Basilius: (in hexam. lib. 9.) *Psalmus*, ait, *daemones fugat, angelos ad adjutorium salutis invitat; scutum est in nocturnis erroribus, diuturnorum requies laborum, cautela pueris, juvenibus ornamentum, solamen senibus, mulieribus aptissimus decor; desertas habitari facit urbes, sobrietatem docet, incipientibus primum efficitur elementum, proficientibus incrementum, perfectis stabile firmamentum.*

Alterum, quod, ceu efficacissimum tutandorum fructuum sanctae hujus exercitationis nostrae medium memorandum arbitrabar, est constans, ac tenera cura conscientiae puritatis. Nemo nostrum ignorat, statum justificantis gratiae vitam constituere animae nostrae; nec posse hominem gravis peccati reatu pressum, quidquam aeterna remuneratione dignum operari. Itaque et sacerdotis, in mortali peccato constituti actiones, fatigia et labores qualescunque, eidem ad consequendum supremum finem

non possunt subservire. Imo ipsi idmodi sacerdotis, gratia sanctificante destituti, nobilissimi secus ac sacerrimi actus, plerumque novae eidem reatus culpam adsciscunt. Quotiescunque enim, in tali statu constitutus, sacramenta administrat, signanter sacrificaturus ad aram accedit, horrendi criminis, quippe sacrilegii se reum efficit. Hinc jam impatescit, nos summam conscientiae puritatis habere debere curam, nec quidquam vehementius debere perhorrescere, quam ne unquam in gravi peccato constitutos, nos ad sacramenti cujuspiam administrationem, ac imprimis ad missae celebrationem contingat accedere. Certe cujusvis, necdum fide christiana exuti hominis animus horrore concutiatur est necesse, si cogitet sacerdotem ad Agni immaculati oblationem adgredi cum conscientia, lethali peccato deturpata, praesumere impuris tractare manibus ejus corpus et sangvinem, qui ipsa est sanctitas, quem purissimi Spiritus nonnisi velata facie audent intueri. Certe, si fideles, christianae religionis sensu adhuc animati, internum idgenus ad aram operantis sacerdotis animae statum videre possent, exhorrescerent, et vel exterriti desererent ecclesiae saepta, vel inter angores cordis functionis finem anhelarent. Eo vero res periculosior est, quo per sensum, vitaeque quotidianae lenocinia facilius in idgenus infelicem statum praecipitari potest sacerdos, nisi malum vigilantissima cura, summoque studio praevertere contendat. Quippe fuerunt, qui quocunque infortunio in grave peccatum lapsi, initio non prius ad celebrandum sacrificium accesserunt, quam rite expiata per Poenitentiae sacramentum conscientia. Vice proxima, vel facile reperiendi confessarii difficultate, vel itineris eapropter suscipiendi incommodis perculsi, accesserunt ad altare, adhuc tamen praemissa contritione, et cum proposito, proxime peragendae sacramentalis confessionis. Repetitis subin subsecutis lapsibus, jam et contritionis obliti fuerunt, inductoque conscientiae pernicioso callo, in praecipitium, de quo mihi sermo fuit, inciderunt. Ne haec cuicunque nostrum contingat infelicitas, qua quidem magis periculi plena vix vel cogitari potest, omnimode nobis est elaborandum, fratres filiique dilectissimi. Ac ecquidem duo praecipue in hunc finem suppetere existimo media perquam efficacia, quae breviter indicabo.

Unum horum est, ut sacerdos, quocunque demum in loco suam nactus est sphaeram activitatis, inter praecipuas suas curas referat deligendi sibi dignum conscientiae rectorem, ad quem statutis temporibus, et quotiescunque opus habuerit, tuto et absque difficultate adire possit fine peragendae confessionis sacramentalis. Puritas conscientiae pro quovis homine christiano, sed cumprimis pro sacerdote, summum est bonum; est pretiosa illa margarita, cujus aquirendae ac conservandae gratia, ad vendenda omnia quae habet, paratos nos esse oportet, nec ab ejus comparatione ullis nos sinere debemus abstrahi difficultatibus. *Sicut Deus*, ait S. August. *omnem creaturam: sic anima omnem creaturam naturae dignitate praecellit. Animae autem suavissima et saluberrima requies*, secundum S. Bernardum, est *conscientia munda*. Et S. Chrysostomus sapienter observat: *Si animam negligamus, nec corpus salvare poterimus. Non enim*, ait, *anima pro corpore, sed corpus pro anima factum est. Qui ergo quod primum est, negligit, et quod inferius est, extollit, utrumque corrumpit.*

Secundum conscientiae puritatis conservandae apprime efficax medium est, quotidianum vespere saltem praesuscipiendum conscientiae examen. Vestes nostras, ubi usu inficiuntur aut atteruntur, diligenter lavandas, reficiendas curamus. An non parem saltem curam et sollicitudinem sibi vindicat id, quod pretiosissimum in nobis est, anima nostra? Penitior sui cognitio ad profectum in virtutis studio semper necessaria reputabatur. Hinc vetus illud, nec minus verum: *Nosce teipsum*. Ut autem nos cognoscere valeamus: frequenter interiores perscrutari debemus cordis nostri recessus. Hoc solum pacto possumus perspicere, quae in perfectionis via vitanda nobis sint, quae

adsciscenda? quae sensim emolienda aut roboranda? quo praecipue, in continua ista pugna rationem inter et sensualitatem, vires sint impendendae, quae nova adhibenda subsidia? Et historia docet parte ab una cunctos, qui altiorem attigerunt sanctitatis gradum, quotidiano conscientiae suae examini incubuisse quam diligentissime; parte ab altera vix quemquam, neglecta solerti sui discussione, vel ad aliquem perfectionis moralis gradum fuisse eluctatum.

Haec sunt, quae vobis dilectissimi, non quasi supplere vellem, quae egregie et copiose nobis proposita fuerunt, sed viatici instar, et in tesseram paterni affectus mei, censui propinanda, commendanda. Superest, ut Deo Optimo Maximo, qui et tridui hujus decursu, confirmavit super nos misericordiam suam, teneras agamus gratias; quo fine mox in corpore ad Cathedralem ecclesiam transituri sumus. Sed aequum pariter est, ut Reverendo Patri, exercitiorum nostrorum ductori, pro exantlatis causa nostri fatigiis, impensaque tam praeclara nobis opera grati animi nostri testemur sensum. Quod ea cum fiducia facimus, quod Deus, largitor bonorum omnium, hoc nobis exhibitum spirituale officium gratiae suae largitate Paternitati Vestrae sit remuneraturus; tanto certius, quan to minus ipsi id possumus condigne remereri. Denique et vobis, venerabiles fratres et filii dilectissimi, sinceras ago gratias, quod, obsequentes invitationi meae, et prompte istuc comparueritis, et praescripto ordini adamussim vos conformando, in finem usque exemplari cum adcuratione perseveraveritis. In reliquo oro vos, tamquam consenior vester, et pater in Christo Jesu, orate incessanter pro sancta Ecclesia nostra Catholica, hac praesertim temporis iniquitate innumeris tempestatum fluctibus agitata; orate pro visibili ejus Capite, quem perversitas humana non cessat satiare omnis generis acerbitatibus. Orate pro religiosissimo Principe et Rege nostro apostolico, perpetuis curis et sollicitudinibus multum exercitato. Orate pro patria, variis et sane quam periculosis passionum undis impetita. Orate tandem pro me quoque, ne labascentes in dies magis mentis et corporis mei vires quaqua ratione in detrimentum cedant Ecclesiae sanctae Dei. Ego vicissim non cessabo Patrem coelestem assiduis deprecari suspiriis, ut *det vobis secundum divitias gloriae suae, virtute corroborari per Spiritum ejus in interiorem hominem. Christum habitare per fidem in cordibus vestris; in charitate radicati et fundati. Ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quae sit latitudo et longitudo, et sublimitas et profundum: scire etiam supereminentem scientiae charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.* Quo fine toto cordis affectu paternam vobis benedictionem impertior in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

SUPPLEMENTUM.

Literae pastorales,

INTUITU AUCTORITATUM: PATRIAE, SACERDOTALIS, REGIAE ET SUMMI PONTIFICATUS,

ad clerum dioecesanum

dimissae die 17. Februarii 1867.

Venerabiles fratres, et filii dilectissimi!

Cuncti vere sapientes perspiciunt, tantae, quae aevo nostro, mundum inundavit corruptelae morum, indeque dimanantium et socialium et politicarum calamitatum causam, si non praecipuam, unam certo e potioribus, inde esse repetendam, quod divinae aeque, ac humanae auctoritatis idea et veneratio, in dies magis evanescat e mentibus, cordibusque mortalium. De tristi hac veritate et ipse intime convictus, anno 1865. imminente majori sacrae quadragesimae jejunio, pastorales ad vos literas, de more dimissurus, nil salubrioris me facere posse arbitrabar, quam si pro argumento earundem enucleationem genuinorum de *auctoritate* conceptuum assumpsero. Id et praestiti, quantum pro tenuitate virium mearum poteram. Demonstrabam quippe, auctoritatem veri nominis absolute necessarium esse cujusvis ordinatae humanae societatis requisitum. Tum vero adumbrabam, quam imperfecti, immo erronei fuerint gentilium, de auctoritatis natura, scopo, et genuinis requisitis, obtutus? Porro ostendere contendebam, Salvatorem nostrum genuinae, vereque salutaris pro humano genere auctoritatis, esse reformatorem atque adeo institutorem. Sed vero hanc per Salvatorem restabilitam genuinam auctoritatis ideam, succesive apud ipsos christianos populos, ingentes passam esse phases, actuque gravissimos, ac

paene perniciosos eatenus grassari errores. In conclusione earundem literarum mearum observabam, quod hae de auctoritate adductae asseverationes meae, multo ampliorem assecuturae forent et vim persvadendi, et claritatem, si singillativae ejus species, uti sunt paterna familiae, sacerdotalis, et regia auctoritas, simili idearum analysi evolverentur. Una receperam, me id alia opportunitate praestiturum, si divinae benignitati visum fuerit, labascentes mentis meae corporisque vires aliquo adhuc tempore conservare.

Cum ingravescentis aetatis meae incommoda necdum eum adtigerint gradum, ut cunctis seriis occupationibus me nuncium mittere oporteat: adveniente rursus sacrae quadragesimae tempore, me data fide praesentibus exolvere constitui sic, ut memoratas tripplicis ordinis auctoritatis species, paternam quippe, sacerdotalem, et regiam, conformiter sacrosanctae fidei et Ecclesiae nostrae placitis, vobis fratres filiique dilectisstimi, ob oculos sistam; subnexis nonnullis, quae ad summam in terris auctoritatem referuntur; auctoritatem quippe Pontificatus maximi, et capitis Ecclesiae. Hac vero in re sic versari contendam, ut, quamvis parum novi dicturus sim, tamen detrompta per me nec scientibus onerosa sint, nec minus adaequatas de re ideas foventibus, inutilia, cunctis denique bene animatis, meditationis materiam praebeant haud omnis expertem jucunditatis.

Videamus itaque, quid sibi velit, quantique sit momenti

I.

Paterna auctoritas?

Patrem inter ejusque familiam intercedens necessitudo, vel ex naturalis ordinis obtutu considerata, est res, qua vix quidquam tenerioris ac svavioris possit cogitari. Est ea sublimis in idea sua, amoena in imaginatione, dulcis cordi humano, et magnae relate ad totum mortalium genus efficaciae. Non fuit per cuncta retro acta saecula, cultus purior, constantior, magis

universalis, quam cultus paternae cum familiae membris necessitudinis. Hoc tamen non obstante, gentilis mundus, divinae revelationis lumine destitutus, hanc quoque sublimem paternitatis ideam varie deformavit, partim falsis, ex erroneis principiis derivatis doctrinis, partim perversis consvetudinibus suis. Qua de re dici possent permulta; sed attento, quem praesens dissertatio sibi praefixum habet, scopo, meminisse suffecerit, apud cultissimas etiam vetustae gentilitatis nationes, auctoritatem paternam paene absolutam fuisse respectu familiae, nec ullis limitibus circumscriptam; ut adeo ipsa filiorum vita a nutu et arbitrio dependeret patris familias. Eadem barbaries adhucdum passim obtinet apud nationes divino christianae fidei beneficio destitutas. Sic scimus, in amplissimo Sinensi imperio, millia infelicium infantium, per ipsos genitores, in cloacas, aut in publicas plateas ejici, inediâ, nisi christianae charitatis et misericordiae succursu salventur, pereuntium, vel rapacibus immundisque animalibus in praedam cedentium.

Jesus Christus, Salvator et restaurator humani generis, creavit in familia christiana paternitatem, qualem mundus non novit antehac; nequidem vetustis illis temporibus, quibus auctoritas paterna sublimi micabat aureola, ac paene suppar fuit regali potestati. Quid igitur fecit Jesus Christus? Impressit paternitati divinae auctoritatis speciem; commisit ei ministerium paene divinum, utque hoc rite obire possit, contulit ei gratiam, qua nihil sublimioris humana capere potest natura. Id vero totum praestitit, matrimonium pro indissolubili inter duas solas personas vinculo declarando, taleque ad Sacramenti dignitatem sublevando. Hoc pacto paternitas humana divinam quodammodo adepta est consecrationem; quae quidem consecratio est sigillum legitimitatis, est tessera efficaciae ipsius, et signum sublimis ejus dignitatatis. Quicunque christianorum ad honorem legitimae paternitatis adspirat, debet eam recipere virtute delegationis divinae a Jesu Christo medio Ecclesiae tributae. Pa-

ter familias apud christianos est homo, quem Jesus Christus sua instituit auctoritate, suae divinitatis signo distingvit, suaque gratia succolat, ut debite exequi valeat suum ministerium. Jesus Christus non agnoscit legitimam paternitatem, nisi quam ipse manibus Ecclesiae suae consecravit.

Sed nec finis et scopus paternitatis in christianis familiis, minus est sublimis, minus divinus, quam sit ipsa ejus institutio. Est videlicet: ut pater familias efformet Christum in cordibus natorum suorum. Patri christiano non est satis formasse hominem; sublime ministerium ejus, ac ex ipsa divina Christi institutione incumbens ei obligatio est, efformare, conservare, educare eos, quibus corporalem dedit vitam, in cives coelestes, eosque cunctis, quae in sua habet potestate, instruere subsidiis, ut ad praestitutum sibi supremum finem, aeternam quippe pervenire possint beatitatem. Quod utique non aliter fieri potest, quam fidem, spem et charitatem ingenerando cordibus eorum, eosque in innocentia vitae et genuinae virtutis studio manuducendo; id vero est, eos ad imaginem Jesu Christi efformando, vel potius, ut superius asseveravi, Jesum Christum in mentibus cordibusque eorum enutriendo.

Ad obtinendum sublimem hunc finem quid a patribus familias deposcit Jesus Christus? Deposcit quod ipse tam misericordiose praestitit humano generi, seipsum pro eo sacrificando; quippe, ut se praeclarae suae immolent vocationi. Non agitur hic de vulgari illa sui immolatione, quam ipsa natura novit inspirare parentibus haud omni humanitatis sensu exutis; sed de immolatione, digna ejus, qui ipsos consecravit in paternitatis ministerium; de immolatione, quae ad cuncta parata sit sacrificia, ad toleranda omnia, quae cum parentali obligatione conjuncta sunt incommoda. Vere felix paternitas, quae virtute obedientiae legi divinae debitae, et in praemium inconcussae erga vocationem suam fidelitatis, emeruit felicitatem ejus, cujus scriptura meminit, fecunditatis: habendi quippe filios

sicut novellas olivarum in circuitu mensae suae; filios, qui pro principio omnis sapientiae agnoscentes timorem Domini, et accipientes benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo, in solatium parentum suorum jucundissimasque et terrestris, et coelestis patriae spes adolescunt.

Ex hoc sublimi obtutu non poterat non evolvi, in medio familiarum christianarum, illa auctoritatis paternae praestantia, quae nullibi gentium, nulloque antehac tempore apparuit. Christiana quippe fides produxit in populis, eidem toto corde adhaerentibus, typum paternitatis, procul remotum a despotismo paternitatis orientalis non minus, quam a mollitie paternitatis occidentalis. Produxit paternitatem, majestatis una svavitatis plenam, quaeve familiis vere christianis indidit vigorem et dignitatem, ac magnam tribuit prosperitatem. Christiana haec paternitas est flos, una fructus svavissimus, cujus deliciosus odor, e primis aerae christianae saeculis in nos usque derivatus, manet adhucdum in nonnullis familiis, non obstante profunda temporis nostri corruptione; quive eo dulcius afficit pias bonasque animas, quo in apertiore constituitur conflictu cum opprobrio tot, tantarumque degenerum paternitatum.

Quodsi quis dubitare posset de veritate harum adseverationum, consideret patrem vera christiana fide animatum, qui circumdatus gnatis suis, animam agens, una manu imaginem tenet Salvatoris crucifixi, alia benedictionem impertitur filiis suis, perseveraturam super iis, tesserae instar obedientiae, amoris, venerationis et suae in familia auctoritatis. O quis sermo, quae lingva possit explicare impressionem, quam operatur in sinu familiae, idgenus amati patris benedictio, cujus vita iis, qui filialem ei praestabant obedientiam, fuit prosperitas dignitosa, cujus mors pro iis, qui eum diligebant ac venerabantur, fuit dolor solatio junctus! Memoria ejus, transmissa amoris ministerio, de generatione in generationem, erit protectio eorum etiam, qui pie denatum non viderant, sed de quo tam amabilia

narrari audierant. Perseverabit recordatio ejus in domo, tutelaris instar divinitatis, et crescere faciet in cordibus posterorum, ceu vivens adhucdum auctoritas, illam erga patrem communem venerationem, illum amorem, illam obedientiam, quae nunquam ei defecit vita durante. Pulchra vero, et grandis imago, magis etiam morte dilecti capitis exornata, et quae ex alterius, beatioris vitae mysterio divinum quemdam mutuatur splendorem.

Quae de patribus familias hucdum asseveravi, ad matres etiam pertinent, eo paene solo excepto, quod, secundum principia sacrosanctae fidei nostrae, auctoritas matris familias viri sui subordinata esse debeat auctoritati. *Sicut Ecclesia subjecta est Christo*; ait Doctor gentium in sua ad Ephesios epistola, *ita et mulieres viris suis in omnibus.* Item: *Unusquisque uxorem suam sicut se ipsum diligat*: *uxor autem timeat virum suum.* Nimirum, quamvis procul a miti Salvatoris nostri genio, divinaque ejus sapientia abfuerit, quoquo modo adprobare illam gentilis mundi barbariem, quae et filios familias et matrem eorum, absoluto viri patris subjecit dominatui sic, ut, omni paene exuti libertate, pecudum instar a solo ejus dependerent arbitrio: parte tamen ab altera, ordinis, ipsi humanae societatis naturae nixi, omnimodam habens rationem, deposcebat idem benignissimus Salvator noster, ut in gubernanda familia domestica, potiores essent partes capitis familiae. Hinc pulchrum illud in christianis matrimoniis, auctoritatis, adeo pro humano genere salutaris, temperamentum.

Hac tamen matris familias erga virum suum subordinatione non obstante, materna auctoritas apud christianos populos nihilominoris est seu dignitatis seu efficaciae, quam sit auctoritas paterna. Immo tanto ea est et sanctior, et amplioris in membra familiae influxus: quanto purior est fons et scaturigo, cui suam debet originem. Intelligo amorem maternum, quo vix aliquid purioris, tenerioris ac intimioris cogitari

potest; quem exuere non potest mulier, mater effecta, nisi ipsum naturae stimulum opprimere velit, et infra brutorum conditionem descendere: nam et haec peculiari quadam erga fructus uteri sui teneritudine afficiuntur. Et reapse, quis nostrum, qui vere christianam nactus est genitricem, non tenera pietate recolat eam ipsius sollicitudinem, qua primos oculorum nostrorum motus ad imaginem crucifixi Salvatoris dirigebat, balbutientem adhuc lingvam nostram ad devote pronuntianda Jesu Redemptoris et beatissimae virginis, matris ejus, Mariae nomina, efformare contendebat? Cujus menti in ipsa virili, immo et senili aetate, non occurrant grata rememoratione svaves illae adhortationes, illa salubria monita, quae invalescentibus juvenilis aetatis passionibus, sibi per bonam suam matrem tanta cum amoris teneritudine fuerant impensa? Et quis unquam tam degener exstitit, tam duri cordis, ut vilipenderet lachrymas, quas fervens prolis suae prosperitatem promovendi desiderium christiana fide exuberantis matris oculis expressit? Multa ex ipsa corrupti aevi nostri historia in rem allegari possent exempla. Sed memorasse suffecerit piam S. Augustini matrem, quem perversis Manichaeorum placitis irretitum, longiorique jam tempore perditionis viam terentem, ut ipse fatetur, juges matris suae lachrymae ad salutis revocarunt semitam. Post Deum, unice beatae Monicae precibus, monitis et lachrymis in acceptis refert Ecclesia Catholica hoc adeo splendidum sacerdotii sui lumen.

Verum est, quod paterna maternaque familiarum auctoritas, quae primis aerae christianae saeculis in pulcherrimo suo constituebatur vigore, multumque sane ad illam morum puritatem et vitae innocentiam contribuebat, quam ipse gentilis mundus admirabatur in Christi Jesu sectatoribus; verum inquam est, quod haec auctoritas successivis temporibus, ac potissimum aevo nostro, permultum ex sua amiserit efficacia, haecque ejus attenuatio tristiores in dies apud catholicos etiam populos operetur strages. Sed vero an exinde concludemus, institutum Jesu

Christi non esse intento fini congruum, vel potius concludemus, homines a saluberrimis Salvatoris praeceptis recessisse? Certe non est hoc aliud, quam unum ex acerbis consectariis labascentis in mentibus cordibusque humanis christianae fidei, ac magis in dies invalescentium praejudiciorum ac errorum, catholicae doctrinae repugnantium. Quis imprimis prudenter ambigere potest, apertum istum paternae maternaeque auctoritatis contemptum, cujus tam tristia in dies habemus exempla, non magna sua parte nimiae illi familiaritati esse adscribendum, quae juxta genium, novumque saeculi morem, quoad ipsam etiam mutuam compellationem parentes inter ac proles, invaluit? Excusare quidem nituntur hanc ante insolitam, ac prorsus incongruam familiaritatem eo, quod genitores inter ac proles intima vigere debeat fiducia. Sed vero non advertunt, qui talia allegant, fiduciam optime componi posse cum veneratione, et debito parentibus respectu, sine quibus ipse filialis amor vix diu possit subsistere; immo hunc eo et teneriorem et stabiliorem esse: quo intimius jungitur reverentiae filiali. An quis porro mirari potest, magnam modernae juventutis partem, superbiae spiritu abripi, ad excessus omnis generis pronam esse, in vitia se praecipitare, innocentiae vitae et castitati opposita, quae et mentis extenuant vires, et florem aetatis ex juvenilibus frontibus deterunt ante diem, et non raro praematuram inducunt mortem adolescentium, pulchris saepe ab auctore naturae dotibus instructorum; ut adeo persaepe filii non modo non sint senectutis fulcra parentibus suis, sed amaritudo cordis, et acerbissimi doloris argumenta; an inquam, tristes idgenus eventus, quorum numerus legio est, calamitosis his temporibus nostris mirari quis potest, qui non ingnorat, veram illam morum christianorum puritatem, quae ex viva erga Deum et Salvatorem fide, ex jugi quotidianarum precum exercitio, devotaque Sacramentorum frequentatione resultabat, e christianis domibus paene evanuisse? qui non ignorat, in ipsis catholicis scholis nil minus exercere sollicitudinem moderatorum, quam ut juventutis, suis manibus creditae, mentes salutaribus imbuantur fidei veritatibus, cordibusque eorum tener ac firmus inseratur religionis ac christianae pietatis sensus? Quae quidem indolentia in bene multis literariis institutis, paene in odium erga religionem degeneravit; ut adeo in ipsis publicis conventibus, seria de excludendo penitus ex scholis religionis et Ecclesiae influxu agitentur consilia. Sed nec mira cuiquam videri potest haec in dies invalescens paternae maternaeque auctoritatis imminutio, qui novit, quantopere vinculi matrimonialis sanctimonia vapulet ex impiis hominum aevi nostri moribus, et quantopere ea positivis etiam incredulorum oppugnetur assultibus. Permulta quippe matrimonia non ex sublimi, iis per Creatorem praestituto fine, et ex puro castoque ineuntur amore; sed ex stimulo impurae sensualitatis, aut, quod non minus turpe est, ex acquirendarum opum, vel aliorum secundariorum finium contentione. Hinc tot ista infausta conjugia, tanta ista inter conjuges dissidia, tanta odia, tantaque scandalorum feracissima divortia; in quorum medio nec familiarum prosperitas, nec paterna consistere potest auctoritas. Quae mala ex magis in dies invalescente, jamque apud plures etiam catholicas nationes adoptata civilis matrimonii idea, supremum quodammodo sunt culmen assecuta. Quod enim impio hoc, christianae fidei repugnante principio, matrimonii, quod Doctor gentium magnum Sacramentum compellat, sanctimonia, et sublimis, quae ei per Salvatorem indita fuit, dignitas ex asse subruatur, latissimusque corruptelae omnis generis campus aperiatur: inficiari nemo poterit, qui necdum omnem abjecit fidei christianae sensum. Sed nec negare quisquam, veras rerum rationes expendere sciens, ausit, impiis idgenus moribus et dogmatibus feralia incuti vulnera paternae maternaeque auctoritati, quae per Jesum Christum suae restituta puritati, unus e praecipuis esse deberet humanae prosperitatis fontibus.

*

Sed videamus jam, in quo consistat, quantique sit relate ad humanae societatis fines momenti

II.

Auctoritas sacerdotalis?

Cum auctoritate paterna familiarum, christiana religio creavit aliam auctoritatis speciem, majoris adhuc indaginis, magisque venerandam in oculis fidelium ipsa paterna et materna auctoritate; quippe sacerdotium christianum. Ubi juvenis, postquam paternam nosse didicit auctoritatem, limen transgreditur domus paternae, et ingreditur domum Dei, alius generis occurrit auctoritati, occurrit sacerdoti catholico. Sacerdos in Ecclesia catholica est auctoritas Sanctuarii, quemadmodum paternitas est sacerdotium in sinu familiae.

Sacerdotium apud cunctas nationes, et cunctis temporibus, pro grandi reputabatur auctoritate. Semper enim considerabatur ceu visibilis divinae auctoritatis repraesentatio. Vivum commercii, divinitatem inter et hominem organum, sacerdos, etsi homo, in oculis populi semper divinitatis aliquam praeseferebat speciem. Haec divinitatis repraesentatio in sacerdote, persaepe non aliud fuit, quam error et mendacium; sed hic error velo tegebatur veritatis: quippe veritatis: nil esse magis veneratione dignum, quam quod divinitatis praefert dignitatem; quodve eo major homini debeatur auctoritas, quo is Deo est vicinior.

Quod fictitium fuit, et variis superstitionibus deformatum apud gentiles, verissimum est ac purissimi candoris apud christianos. Saderdos etenim christianus, proprio sensu repraesentans est Jesu Christi, Dei et hominis; est humana divinae ejus auctoritatis imago; est substitutus administer cunctorum mysteriorum, cunctarum gratiarum ejus. Non solum vivit Jesus Christus in sacerdote christiano, sed et exercet continuo, ejus ministerio, functiones, quae operantur sanctificationem animarum,

et mundi salutem. Jesus Christus est, qui sub specie sacerdotis, instruit mortales, dimittit peccata et sacrificat. Sacerdos christianus investitus Jesu Christi auctoritate, in cathedra veritatis, in tribunali misericordiae, ad altare Altissimi, vices ejus sustinet, qui eum legitima, ac paene divina in hunc finem instruxit potestate.

Ita est, dilectissimi! in ambone, ceu sacro verbi divini throno, constitutus sacerdos christianus, est quodammodo echo verbi aeterni, id vero est incarnatae veritatis. Est vox, est organum, ejus divina auctoritate instructum, qui in terris agens, loquebatur *sicut potestatem habens*, ut legimus in Evangelio. Quod fuit Jesus Christus qua puer adhuc, coram attonita et admirante Synagoga. sumus post eum, et per eum, nos sacerdotes coram nationibus, nomen ejus invocantibus. Sumus ejus vices sustinentes, qui dixit: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra; ite docentes omnes gentes, servare omnia, quaecunque mandavi vobis.* Quando sacerdos catholicus conscendit ambonem, Evangelium, juxta infallibilem Ecclesiae sensum, coram congregato fideli populo explanaturus, auctoritas Jesu Christi, Dei et Salvatoris nostri ascendit cum eo; ipse enim promisit se haud unquam derelicturum, quos suo redemit sangvine jugiterque adfuturum numine suo Ecclesiae, immaculatae suae sponsae. Dum ingenium et sublimior eruditio se jungit in persona praedicatoris, Deus et homo conspirare quodammodo videntur in constituenda auctoritate, cui nonnisi summa ignorantia aut malitia possit resistere. Si desit in praedicatore cultius ingenium, aut amplior scientia: tamen et tunc imponit vox ejus: quia sublimioris quid sibi junctum habet, quam sit quaecumque humani ingenii praestantia, aut eruditionis profunditas; junctam sibi habet divinam Jesu Christi auctoritatem. Unus e celeberrimis aevi nostri philosophis christianis, Donoso Cortes dicebat cuidam amicorum suorum, se post humeros sacerdotis catholici verbum divinum praedicantis, ipsum videre Deum; quo

dicto indubie sublimem illam indicare voluit auctoritatem, qua praeditus est sacerdos christianus, fidei morumque veritates ex ambone instillans mentibus ac cordibus fidelium.

Sed ambo sacer non est unicum theatrum, in quo se exerit auctoritas sacerdotis christiani. Descendens sacerdos de ambone, id vero est de throno, in quo majestas divini verbi residet, conscendit alium thronum, quem quoad speciem differens, sed quoad essentiam eadem ornat auctoritas: nimirum auctoritas Jesu Christi peccatoribus veniam impertientis. Fidelis se sistit huic misericordiae throno, viva fide penetratus, ad genua provolvitur, quia sub forma paternitatis humanae divinam illic residere agnoscit auctoritatem; firmiter credens eum, qui dixit Apostolis, eorumque successoribus: *Ite docete omnes gentes*, alia occasione dixisse: *Quorum remiseritis peccata*: *remittentur iis.* In hac spontanea humiliatione, sub protenso sacerdotis brachio, completur grande illud mysterium, virtute cujus homo peccator amissam recuperat innocentiam, recipit coelesti gaudio exuberantem conscientiam suae cum Deo reconciliationis. Postquam culparum suarum sincera poenitentia tactus peccator, suum percussit pectus, sinceras doloris, ob offensam divinam benignitatem, effudit lachrymas, sacerdos extendens super eo manum dicit: auctoritate, quae mihi data est, Jesu Christi, ego te absolvo a peccatis tuis. Vade in pace, et noli amplius peccare. Quis est hic, qui etiam peccata dimittit? interrogat praepostera aevi nostri sapientia. Respondet Ecclesia catholica: hic homo non sua, sed ejus sic agit auctoritate, qui postquam dimisisset paralytico peccata, dubitantibus qui adstabant, scribis de hac ei competente potestate, teste S. Marci Evangelio protestabatur: *Quid est facilius dicere*: *dimittuntur tibi peccata, an dicere: surge, tolle grabatum tuum, et ambula. Ut autem sciatis*, ait, *quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata* (ait paralytico) *Tibi dico surge, tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam. Et statim*, continuat

Evangelista, *surrexit ille, et sublato grabato, abiit coram omnibus; ita ut mirarentur omnes, et honorificarent Deum dicentes: quia nunquam sic vidimus.* Ecce regem potentissimum, qui ad pedes pauperis Religiosi, confessoris sui, provolutus, ei omnes, etiam abditissimas cordis sui pandit latebras, humiliter confitetur praevaricationes et imperfectiones suas, sancte pollicetur se non amplius peccaturum, prompto cum obsequio acceptat cuncta, quae per pauperem illum, nec obulum possidentem Dei servum sibi injunguntur, satisfactioria opera. Quanta, quam admirabilis, sed quam salubris una humano generi auctoritas!

Magnus est, et veneratione dignus sacerdos super throno verbi divini, et in tribunali misericordiae constitutus: sed multo adhuc major, et singulari prorsus auctoritatis corona insignitus apparet sacrificio ad altare Altissimi offerendo operam navans. Vere potestas, qua istic instructum se sistit, tanta est, ut super ea ratio nostra sacro quodam horrore percita obstupescat. Est quippe sublimis, incomprehensibilis potestas Deum Deo immolandi. Ad altare novae legis perficitur incomparabile illud mysterium, sub cujus pondere, homo ceu organum ejus, se plene quodammodo sentit exinanitum. In cunctis aliis suis functionibus sacerdos divina auctoritate, quasi coelesti paludamento contectus comparet, sed sacrosancto Altaris sacrificio operam navans, ipsam adtingit divinitatem; humanitas ejus quasi disparet; assistens populus fidelis, eum, Deitatis, ut ita dicam, radiis renidentem, admiratur et dum ad pedes altaris adorat Deum Jesum Christum, una veneratur et suspicit sacerdotem, qua hominem, cui potestas et gloria tributa est, tam augustum Deo offerendi sacrificium. Sane, quamcunque viva imaginatione quis resuscitet in mente sua templi Salomonis magnificentiam et impressionem illam, quam in animis populi Hebraici producere debebat splendor cerimoniarum veteris foederis, templum illud quodammodo in vestibulum coeli transformatum: his cunctis major est veneratio, quam persentiscit fidelis populus christia-

nus, erga sacerdotem novae legis, dum eum conspicit agnum culatum coelesti Patri pro mundi saluto offerentem.

Tanta est sacerdotis catholici, tripplici hac corona redimiti auctoritas, quam fidelis populus, per lumen fidei suspicit, ut eum, etiam extus ecclesiam constitutum, distingvat a laicis, suaeque venerationis comitetur contestationibus. Nec desunt, his quoque religioni tam infestis temporibus, manifesta atque adeo publica hujus venerationis documenta. Considerent, qui id negare vellent, amatum curionem sacrum, per medium fidelis sui gregis transeuntem. Sed considerent imprimis Episcopum, fine administrandi Sacramenti Confirmationis, mapalia dioeceseos suae visitantem. Saepe jam interrogarunt extranei, a fide catholica alieni, aut secus quid agatur ignorantes: quis est hic homo, estne pater in medio suae familiae, vel monarcha in medio subditorum suorum? Responderi taliter interrogantibus cum veritate potest: Est utrumque. Vix etenim filii familias communi patri, aut subditi ei, qui temporales ipsorum sortes regendas habet, majorem possunt exhibere cultum, quam exhibet haec hominum multitudo, quae composita e viris, mulieribus, senibus et infantibus, obviam currit Episcopo suo, et in genua provoluta, reverenter excipit benedictionem ipsius; quippe qui vere pater sit omnium, quia operandae suae curae creditorum saluti consecrat vitam suam; — est rex, spirituali quidem tantum, sed regali suppari potestate ab eo instructus, qui est rex regum et Dominus dominantium.

Hac auctoritatis specie sane vix ulla inter cunctas auctoritates cogitari potest seu sublimior seu humanae societati salubrior. Est enim fidei religiosae et puritati morum intime copulata, ita, ut, nisi in turpem degeneret hypocrisin, iisdem cum his passibus procedat; cum religiosa, inquam, fide et morum probitate, quae et supremum hominis finem, et praecipuum constituunt omnis etiam temporaneae mortalium felicitatis fundamentum.

Scimus, et tristiori in dies experientia discimus, dari inter christianos, etiam catholicos, permultos, qui hunc sacerdotali auctoritati debitum cultum vilipendunt; immo eo superiorem se culturae gradum assecutos arbitrantur. quo rudiora hujus sui contemptus praebent argumenta. Sed vero in hoc recte consistit, fere dixerim, praecipua infelicitatis temporum nostrorum causa: contempta enim sacerdotali auctoritate, et negato religionis ministris debito respectu, ipsa religio, et quae cum ea inseparabiliter juncta sunt, humanae prosperitatis fulcra, tristem in modum infringuntur, aut saltem labefactantur.

Caeterum haec, hisque similia ex corrupta humanae naturae indole suapte profluunt. Semper enim bonum inter ac malum, virtutem inter et vitium bella fuerunt; nec unquam deerant homines, qui ejus potius, qui mendax fuit a principio, placitis subservire, quam sanctissimis Dei ac religionis praeceptis inhaerere contenderunt.

Tristius, ac vere amaris lachrymis deplorandum foret, si idgenus auctoritatis sacerdotalis vilipensioni, ansa per ipsa sacerdotalis status individua praeberetur. Certe gravissime et sacrosanctae vocationis, et conscientiae suae laederet postulata, nimisque sibi difficile adsciscerent onus, reddendarum olim coram stricto divino tribunali rationum, sacerdos, qui seu culpabili in praedicatione verbi divini aut debitae, ad id optato cum successu praestandum, praeparationis neglectu; seu levitate in sacro tribunali, magisque oeconomiae temporis et propriae suae commoditatis studio, quam in sanctissimos salutis animarum fines intento conatu suo; seu indecora, omnique unctione ac vera devotione destituta sua ad aras Altissimi agendi ratione; seu demum indisciplinato vitae suae tenore, aut plane gravibus a virtutis tramite aberrationibus, idgenus sacerdotalis status vilipensioni, tamque salutaris pro humano genere auctoritatis contemptui ansam vel fomitem suppeditaret. *Sobriam a turbis gravitatem, severam vitam, singulare pondus dignitas sibi*

vendicat sacerdotalis, ait S. Ambrosius. Et S. Hieronymus: *Grandis dignitas sacerdotum; sed grandis ruina si peccant. Laetemur ad ascensum, sed timeamus ad lapsum. Non est tanti gaudii excelsa tenuisse, quanti moeroris de sublimioribus corruisse: nec enim solum pro nostris delictis reddemus rationem, sed pro omnium, quorum abutimur donis.*

Hactenus de auctoritate sacerdotali. Sequitur

III.

Regalis auctoritas.

Christiana fides non tantum paternae familiarum auctoritati et sacerdotio insignem indidit dignitatem et efficaciam; etiam regiae potestati sublimem impressit characterem, sicque eam transformavit, ut omnino prosperitatem populorum posset operari. Vere christiana potestas regia, admirabili temperamento sociat svavitatem paternam et venerationem sacerdotio debitam, cum totius nationis majestate. Sacrata per Ecclesiam, pro bono populorum, dignitas regia recipit a Jesu Christo unctionem sacerdotali unctioni similem, quae eam reddit venerabilem; recipit genuini erga populum amoris instinctum, qui eam paterno replet affectu; recipit vim illam moralem, quae eam capacem reddit creandi et conservandi ordinem in societate, omnimodaque ejus commoda promovendi.

Nimirum potestas regia christiana, tres sibi a Jesu Christo impressos habet characteres, qui eam humano generi reddunt salutarem. Primus horum characterum est, quod homo ad regendas nationis sortes adscitus, agnoscat, praeter se dari aliam, eamque divinam, regendis animabus praepositam auctoritatem. Alter character est, quod Princeps christianus fronti suo impressum gerat stigma Divinitatis. Tertius, quod per Jesum

Christum, et magisterium infallibile Ecclesiae discat se devovere populi sui prosperitati. De singulis pauca.

Quod vetustis jam temporibus mirum in modum sublimavit Principum christianorum auctoritatem, et quod scioli, nec veras rerum rationes penetrantes homines, hodiedum ei maxime praejudiciosum esse depraedicant, est: quod agnoverint, amaverint et venerati sint auctoritatem seipsis altiorem. Intelligo regnum spirituale, per Jesum ad gubernium animarum institutum. Gubernia infaustis atheismi ac scepticismi principiis infecta, regnum hoc spirituale, religionem quippe et Ecclesiam, nonnisi qua hypothesim considerant; id est qua moralem potentiam, cujus ratio habenda sit propterea, quod ea adhucdum populorum fide nitatur. Regimini contra vere christiano, religio et Ecclesia sunt instituta divina, per Jesum Christum stabilita. Reges ac principes christiani non raro quidem suas cum Ecclesia ejusque antistibus habebant differentias: rem tamen ipsam nunquam negarunt, immo dogmatis instar agnoverunt semper, hancque suam fidem palam etiam profitebantur. Agnoverunt obligationem suam, Jesu Christi et Ecclesiae auctoritati obediendi, ac, exceptis particularibus casibus, in quorum discussionem haud opus habeo, hac occasione me immittere, reipsa etiam obedierunt. Principes christiani iclinando se in conspectu populi, potestati sua ampliori, proprio exemplo docebant, quo modo revereri oporteat omnem legitimam auctoritam; divinam imprimis, tum et caeteras ab ea, velut fonte suo profluentes. Auctoritas, cui reges ipsi ac principes obediunt, sublimis prorsus ac veneranda apparere debuit caeteris; idque religiosum populorum sensum mirum in modum roborabat; nec sane cum detrimento, sed cum immenso potius publicae nationum salutis incremento. Sed et, videntes populi principes suos obedire Jesu Christo: crevit in ipsis jucundus aequalitatis christianae sensus. Laetantes se jungi regibus suis ad pedes Jesu Christi in obedientia et submissione, una suae dignitatis conscientia gratissime affi-

ciebantur. Exempla hujusmodi obedientiae, promicantia ex regio throno, aedificabant subditos, et sensus paris a Deo dependentiae, quae populos quodammodo regibus suis aequales faciebat, ingentem in culturam et prosperitatem nationum christianarum exerebat influxum; quem quidem ignorat, aut plane inficiatur praepostera aevi nostri sapientia, sed quem quivis agnoscere debet, cujus mentem necdum excaecarunt prava principia, aut cor necdum corruperat aestus passionum. Principis christiani, hoc ex obtutu, pulcherrimum paradigma est Theodosius imperator, qui post grandem regalis suae potestatis abusum, stitus in ecclesiae limine per generosum antistitem, Ambrosium, obedit sacerdotali ejus voci, et se humiliter subjicit publicae poenitentiae. Theodosius, tantum abest, ut hoc facto maculam inusserit gloriae suae, ut recte hoc suo christianae humilitatis exemplo, summam consecutus sit nominis celebritatem. Et merito. Nam compescens iram et superbiam suam, monstravit se insignem de se ipso reportasse triumphum; manifesto docens documento, se agnoscere, quod amplior adhuc sit honor submittere se Jesu Christo, Regi nationum et regnantium, quam imperare populis.

Quod regibus christianis ampliorem etiam tribuit auctoritatem et respectum, est principium divinitatis, cujus indelebile signum suis habebant frontibus impressum. Quocunque modo nationes christianae suam nactae sint consistentiam; seu videlicet ea ex praestigio nominis magni alicujus viri, seu ex praecedentium temporum traditionibus, seu ex popularibus discordiis et factionibus, seu demum ex armatorum aemulorum conflictibus promanaverit: ubi semel coaluerat et firmas radices fixerat, per religionem christianam divinus quispiam, ut ita dicam, eam sensus permeavit; descendit in dynasticam earum arborem ros quidam coelestis, qui mirifice ejus solidavit radices, ramosque ejus, id vero est procedentes ex regnante stirpe principes, ita enutrivit, ut saluberrimos possent in adserenda nationis

prosperitate fructus operari. Quacunque via venit Jesus Christus in constitutum semel imperium aut regnum christianum: venit, eique suae impressit divinitatis et auctoritatis sigillum. Quod populi jus divinum compellabant in principibus suis, non fuit aliud, quam resultatum, saeculorum lapsu roboratae in mentibus hominum persvasionis, quod rex, in exercitio potestatis suae, divinam repraesentet auctoritatem. Jesus Christus subingressus est regnum vel imperium ad se conversum; dependebat illud a Jesu Christo, vivebat ex ipsius spiritu, qui suo in illo jure dominabatur; et populi non morabantur agnoscere ejus auctoritatem, qui ex Jesu Christo hauriebat jura debitae sibi venerationis, amoris et obedientiae. Juris publici gentium professores possunt quaerere inter se et disputare: quid sibi velit jus divinum principum? quid sibi velit compellatio regis divina gratia solium occupantis? Populus christianus ignorabat quidem juris et compellationis hujus definitionem; sed non ignorabant frontibus regum suorum impressum altioris auctoritatis sigillum. Ecclesia etenim catholica legitimis principibus, sacrorum inter solemnia, unctionem ut coronationem solebat impertiri, ceu tesseram divinae adprobationis, quae populis vadem exhibebat nullis amplius temporibus obliterandum; quaeve sicut venerationem in mentibus populorum augebat erga suos principes, sic horum mirum in modum confirmabat auctoritatem. Splendidissimum christiani regis, hoc ex obtutu, exemplum habemus in Carolo magno, Romae unctionem sui et coronationem a Summo Pontifice exorante; et majestatem imperatoriam, benedictione Pontificis sublimatam, ad suos populos reportante.

Tandem potestas regia christiana insignita est alio adhuc charactere, qui priscis jam temporibus ei singulariter devicit populorum corda, bonisque omnibus erga principes suos sensum incussit venerationis, amoris, obedientiae, ac hoc pacto validissimum auctoritatis ipsorum fuit praesidium. Nimirum christianus princeps, spiritu Jesu Christi penetratus, agnoscit, vocati-

onem suam esse, devovendi semet populi sui prosperitati et finibus humanitatis. Reges christiani, in ipsa inaugurationis suae solemnitate, jurejurando se obligant, consecrandi suam, quam a Deo nacti sunt, potestatem, servitio humanitatis. Nolim indagare, num omnes etiam coronati principes hujus juramenti religione obstrictam fidem suam, plena semper in mensura evolverint? Non datur tam sublimis, tam augusta vocatio, quae humanae quandoque non succumbat fragilitati, maxime dum ea sensualitati et passionibus haud levia imponit repagula, magnaque deposcit sacrificia. Quidquid tamen sit de individualibus praevaricationibus principum, qui eo quod regale conscenderint solium, non cessant esse homines: cum veritate asseverari potest, principes, instructos et penetratos religionis et Ecclesiae suae spiritu, credere debere, ac raepse etiam credidisse semper: sublimem suam vocationem non aliam esse, quam ut suam a Deo acceptam potestatem adserendae humanae consecrent prosperitati. Et haec fides, haec persvasio fecit, quod exuerint passim illam asperitatem, feritatem, et, ut ita dicam barbariem, quae gentilium, etiam meliorum imperatorum tyrannidem adeo reddidit execrabilem. Haec fides, haec persvasio fecit, quod tot tantique principes non tam reges, quam, tenerae dilectionis pleni populorum suorum patres fuerint. Innumeri sunt, quos ceu praeclara hoc sub obtutu paradigmata possem allegare. Tres tantum memorabo. S. Ludovicum, regem Galliarum, qui regio licet fulgens splendore, non dubitavit pedibus egestate morbisque pressorum inclinare majestatem suam, religiosa fide exuberantis sui cordis teneritudine actus. Porro sanctum Stephanum, regem Hungariae, cujus deliciae fuerunt, inter pauperum turbas regales suos distribuere thesauros. Denique S. Elisabetham, quae regio licet sangvine orta, cunctis principalis status ornamentis et deliciis renunciando, se totam fundati suis pecuniis, hospitalis alumnorum servitiis generose sacravit.

Hi semper fuerunt, hi et actu sunt vere christianorum

principum characteres, qui non possunt non eorum auctoritati insignem indere splendorem, efficaciam, firmitatem, jucundissimosque in promovenda mortalium prosperitate operari fructus. Restat

IV.

Auctoritas Summi Pontificatus.

Summus Ecclesiae Catholicae Pontificatus est complexus omnium, de quibus hucdum nobis sermo fuit auctoritatum: est summa auctoritas paterna, summa auctoritas sacerdotalis, summa auctoritas regalis. Si nobis omnem, quae paternae auctoritati inest svavitatem; omnem quae sacerdoti debetur venerationem, omne demum, quod maxime Augusti regalis throni exornat majestatem, imaginati sumus, haecque cuncta unius hominis fronti imposita cogitavimus: ideam nobis efformavimus summi Pontificatus. Auctoritas summi in Ecclesia catholica Pontificis est auctoritas, quae quidem variat in formis, sed juncta est majestati, nullas mutationum phases admittenti. Est quodammodo imago divinae in his terris providentiae. Est auctoritas, quae una ex parte imas penetrat rerum humanarum profunditates, parte ab altera divinorum mysteriorum adtingit sublimitatem. Est auctoritas, cujus theatrum universus terrarum constituit orbis; quae indefinitas numerat series saeculorum; habens quippe post se duo paene annorum millia, ante se temporum spatia, quae de saeculo in saeculum se protendere debent in finem usque saeculorum; quae innumeras jam vidit revolutionum phases et potentissimorum thronorum eversiones, ipsa autem perdurat; quia aedificata est supra firmam petram, quam spumantis maris fluctus nonnisi impetere possunt, evertere non possunt. Est auctoritas, quae sceptro suo regit feras aeque nationes, ac ad summum culturae gradum evectas; cui in rebus ad fidem et mores pertinentibus, inclinant frontem Imperatores aeque, ac pecudum pastores; cui omnis intellectus, lumine fidei illustratus, suum praestat homagium, doctrinis praeceptisque ipsius assentiendo;

cui omne cor, divina gratia emollitum, amoris venerationisque exhibet obsequium. Denique est ut ita dicam, corona omnium caeterarum auctoritatum: quia qui ea instructus est, est sensu maxime proprio, vicarius et repraesentans Ejus, cui data est omnis potestas in coelo et in terra.

Hujus tam sublimis auctoritatis nil potest perfectiorem homini ideam ingenerare, quam paschalis festivitas Romana. In urbe totius orbis celeberrima, quae non inapposite urbs aeterna compellatur; in foro, quo nullum datur in mundo augustius, nullum nobilius; festo Paschatis, quo cunctorum caeterorum festorum christianorum solemnitas consecratur, undulat immensa hominum multitudo, maris instar fluctuum pacificorum, quos mitis religionis spiritus agitat. Adsunt illic repraesentantes cunctarum fere nationum terrae, et crederes videre te populos, adventantes ex omni parte mundi, ad considerandum incomparabile quoddam, ac quod nullibi secus terrarum produci potest, spectaculum. Congregata haec multitudo avide, sed dignitoso cum respectu, et in mysterioso silentio operitur insolitum eventum. Repente in magnifico frontispicio primae in orbe Basilicae adparet Sacerdos, pater et rex, tripplicata redimitus corona, quae non inconvenienter hunc ejus tripplicem adumbrat characterem; adparet nobilissima comitiva stipatus, venerandus aetate, religione, pietate, ipsa sua fronte referens omnem, quam Deus humano capiti ingenerare possit majestatem. Idem sustollit in coelum oculos; cor ejus amore et teneritudine plenum, amplectitur hanc multitudinem, cujus singula membra filii ejus sunt in Christo Jesu. Protendit manum suam urbi et orbi benedicturus. Et, dum centum hominum millia ad genua provoluta jacent; dum ex castro S. Angeli tormenta suum edunt fragorem, dum insonat aes campanum cunctarum urbis ecclesiarum, quarum Roma adhucdum ultra tercentas numerat: audis vocem communis christianorum patris, regis, summique Sacerdotis, intonantem: Benedicat vos omnipotens Deus, Pater, et

Filius, et Spiritus Sanctus. Potest cum veritate dici: quicunque vidit e propingvo incomparabile hoc spectaculum, et non fuit in intimo cordis sui recessu commotus; quicunque audivit hanc vocem communis orbis catholici Patris, et non reportavit in anima sua, sublimem tantae auctoritatis imaginem; nec persensit in pectore suo religiosissimi respectus impressionem; quicunque inquam ad tam sublime spectaculum frigidus mansit et ferreus: is, ut levissima utar expressione, haud unquam habuit, aut, si aliquando habuit, oppido perdidit sensum, qui est proprius teneriorum animarum character, nimirum sensum amplitudinis, sublimitatis, religiosae pietatis.

Quod tam ampla et sublimis auctoritas, decursu novemdecim saeculorum, ingentem in moralem humani generis profectum exerere debuerit influxum, etiamsi taceret historia, sana humana ratio certa divinatione assequeretur. Influxum porro hunc salutarem fuisse relate ad fidei christianae incrementum morumque probitatem, et quae his inseparabiliter juncta est, veri nominis nationum culturam ac prosperitatem, jam exinde conjicere licet, quod tot saeculorum lapsu decurrens eventuum series non fuerit aliud, quam perpetua pugna inter fidei et morum christianorum placita parte ab una, ruditatem, corruptelam ac impietatem saeculi parte ab altera. Sunt, nec pauci, qui vix aliud de Summis Pontificibus sciunt memorare, quam aberrationes quorundam a virtutis tramite, variosque variis imputatos potestatis spiritualis abusus. At vero, concesso etiam, intervenisse quandoque, quod humanae naturae fragilitati connatum est, talia, quae nequeunt probari: tamen absque veritatis et aequitatis laesione, negari non potest, auctoritatem Summi Pontificatus humano generi incomparabiliter plura praestitisse beneficia, quam sint, quae illis tribuuntur mala, etiamsi haec cuncta probari possent; quae tamen longe maxima sui parte ad calumnias et figmenta referenda esse impartialis, ac ad genium diversorum temporum reflectens critica, satis de-

monstrat. Ipsi nonnulli, veritatis sensu haud expertes Protestantes, agnoverunt, auctoritatem Summi Pontificatus medio aerae christianae aevo, non modo summe utilem, sed omnino necessariam fuisse humano generi. Et reapse, qui expenderit, quanta fuerit primis cumprimis saeculis, persecutionum christianae fidei et Ecclesiae illatarum, acerbitas? quanta, et quam periculosa fuerint per innumeras haereses et schismata ei inflicta vulnera? quam horrendae per incursiones barbararum gentium toti Europae illatae strages? quanta ex his, aliisque calamitatibus magis in dies invalescens ignorantia, morumque ruditas? quanta majoris paene partis potentium, ipsorum etiam regnantium principum, ad violentias omnis generis, rapinas et tyrannidem exercendam promptitudo? non potest vel momento ambigere, Summi Pontificatus, utique salutiferae fidei christianae spiritu penetrati, immo ejus quodammodo complexum repraesentantis, auctoritatem, veri nominis fuisse rorem coelestem, qui salubriter temperabat perniciosam istam, in quam humana societas conjecta gemebat, mentium ac cordium ariditatem. Certe absque divini hujus temperamenti antidoto, populi se invicem, tygridum instar, dilaniassent, et Europa in priscorum temporum recidisset barbariem.

Sed et hac temporis nostri calamitate, sedem Pontificiam, adversus inundantem undique principiorum morumque corruptelam praeclarum esse praesidium, omnis, qui apertae veritati nolit repugnare, agnoscat est necesse. Vel, an inficiari quis audeat, eam esse, quae sublimi sua auctoritate, catholicae fidei, per totum terrarum orbem diffusae conservat unitatem et puritatem, hoc incomparabile humanae prosperitatis palladium? An non eidem sedis Pontificiae auctoritati imprimis in acceptis est referendum, materialismi, pantheismi, scepticismi et atheismi, aliorumque paris impietatis systematum dogmata nondum mentes cordaque mortalium penitus corrupisse, et mortiferis suis toxicis mundum praecipitasse? An non virtus et innocentia,

veritas et justitia, ipsa sana juris naturae et gentium principia, in hac paene universali idearum morumque perversitate, unicum fere adhuc suum refugium sub alis auctoritatis Pontificiae reperiunt? An non solus est Summus Pontifex noster, qui, etsi omnibus paene sustentandae dignitatis suae subsidiis iniquissime spoliatus, in conspectu potentissimorum regum, principum et Imperatorum, apostolicam suam, adversus iniquitates. oppresiones insontium, omnisque generis injurias, quibus legitima quaeque jura, etiam saeculorum usu roborata, unico praepotentiae titulo evertuntur, suam in altum extollit apostolicam vocem; nec seu adulationibus, seu minis intentatis, seu promissionibus, seu demum aliis quibuscunque vellicationibus et praesumptuosis impetitionibus, a tramite, quem dignitatis suae, summaeque a Jesu Christo sibi collatae auctoritatis conscius, forti animo, securoque terit passu, vel latum ungvem se patitur dimoveri? Vere tali auctoritate et hodie indiget humanum genus; immo tanto indiget amplius, quanto est indubitatius, nullum fuisse temporis momentum, quo malitia humana, indomitarum passionum furor, omnesque inferni potentiae acrius ac pertinacius divinum in terris regnum impetiissent, quam impetant hoc recte, quo vivimus temporis momento.

Ex hactenus dictis, convicimini, credo, venerabiles fratres et filii charissimi, inter innumera, quae fides christiana humano generi tribuit beneficia, haud postremum debere reputari, quod paternam, sacerdotalem ac regiam auctoritatem a suis, quibus ante obnoxia fuit, mendis repurgaverit, perfecerit, sublimaverit; ac insuper summum Pontificatum, qui omnium trium illarum quodammodo imaginem in sublimiori gradu praebet, his in terris stabiliverit.

Sed eheu! temporibus successivis, ac his cumprimis nostris, incredibile quantum cunctae hae auctoritates ex ea, quam ipsis Salvator noster indidit, puritate, robore et dignitate, amiserint, quamve varias ac acerbas sint

*

Phases perpessae?

Has phases, quod ad primas duas, paternam quippe ac sacerdotalem adtinet, jam altius, quoad necessarium mihi videbatur, exposui.

Quam id verum aeque sit relate ad auctoritatem regalem, nihil opus est multis demonstrare. Sufficit oculos aperuisse, et, quae passim apud populos nationesque Europae aguntur, vel obiter considerare. Pauca solum indigitabo. Scimus versus finem saeculi praecedentis, in uno, eoque amplissimo catholico regno, principem vere probum, pium ac innocuuum, horrendo regicidii crimine, et quidem insigni votorum, per nationis repraesentantes, publice depromptorum, majoritate, e medio fuisse sublatum; scimus conthoralem ejus, imperiali stirpe genitam, paris cum marito innocentiae, impiis lictorum manibus, inspectante et applaudente ingenti hominum multitudine, propudiosa pariter morte fuisse peremtam. Quando tam abominandum patrari potuit scelus: attunc auctoritatem regiam, tristem in modum concussam, immo funditus eversam fuisse, suapte intelligitur. Quid porro aliud demonstrant hae tantae thronorum, legitimitate non minus ac vetustate sua venerabilium, convulsiones, quarum oculati sumus testes; et quae, quidquid malitia et vafritia humana alleget ad excusandas excusationes in peccatis, unice ambitioni et habendi cupidini, rapacitati, ac perversis abjectorum hominum studiis ac passionibus, sunt adscribendae. Quid porro indicat impudicum illud, in non paucis jam nationalibus conventibus adoptatum axioma: Rex regnet, sed non gubernet? Quid ille paene jam universalis apud populares idgenus repraesentationes nisus, regiam auctoritatem, quo fieri potest, augustioribus constrigendi limitibus? Quasi vero familiae aut communitatis cujuscunque prosperitas in eo esset sita, ut commune caput in stramineum, ut dici solet, simulacrum convertatur. Quasi vero ordo, et quae ei intime et necessario conjuncta est, communitatis felicitas, consistere possit, si acephala sit, vel habeat

quidem caput, hoc compellationis honore insignitum, sed vera dignitate, quam nonnisi congrua rem domesticam dirigendi facultas tribuere potest, destitutum; si filii familias ampliore polleant agendorum sphaera, quam pater, principale familiae membrum. Quid haec, hisque similia, indigant aliud, quam quod christiani de regia auctoritate conceptus, ingentem temporibus nostris subierint metamorphosim; quodve clara religionis edicta, ipsaque naturae judicia, superbiae, arrogantiae et infrunitae libertatis aut potius licentiae impulsibus locum plerumque cesserint?

Sed nullum est auctoritatis genus, quod cumprimis his recentioribus temporibus acrius fuisset impetitum, quam sit Summi Pontificatus auctoritas. Nolim disserere de infinitis illis calumniis, illis jurium Sedis apostolicae vellicationibus, immo apertis, diabolica quandoque cum malitia, livoreque et odio vere satanico, adversus eam in libris et ephemeridibus undique vibrari solitis sannis et sophismatibus, quibus jura pontificia, sua, ut ita dicam, serie, haud raro ipsae tam salubris, tam venerandi Instituti bases impetuntur, oppugnantur. Suffecerit memorasse illud paene universale, nec minus acre quam pertinax bellum, quod hoc recte infelici tempore nostro, geritur adversus temporale Sedis Pontificiae dominium. Sciunt videlicet perbene religionis inimici, aperti non minus ac larvati, caput Ecclesiae, in praesentibus temporum ac rerum adjunctis, nisi indepedens sit a cujuscunque alterius principis jurisdictione et dominatu, non posse ea cum libertate et dignitate regere Ecclesiam, quam deposcit Summi Pontificatus natura, ipsumque bonum religionis. Pro suo itaque, erga fidem et Ecclesiam, indomito odio et livore, omnem movent lapidem, ut ejus caput, hac, quam divina providentia, vere admirabili sua dispositione ei adtribuit, conditione privetur, exuatur. Quidquid enim dicant, quibuscunque impietatem suam coloribus celare contendant: indubium est, radicem nisus eorum esse odium fidei et Ecclesiae catholicae; caetera non sunt nisi praetextus, quibus malitiam

sui cerdis, et indignas passiones suas, velari posse existimant. Ipsi illi in altis subseliis positi fortunae filii, qui, pro grandi sua potentiâ, uno serio verbo conservare poterant, possentque et hoc momento, Ecclesiae Catholicae caput in dignitate ac indepedentia sua, proprii sui commodi studiis ad terendum quem ingressi sunt Sedi pontificiae infestum tramitem se passi sunt determinari. Certe fides catholica, quidquid profiteantur verbis aut etiam actionibus extrinsecus, nunquam profundas solidasque in pectoribus ipsorum fixit radices. Si enim S. Ludovici, aut Caroli magni fide, et erga Ecclesiam catholicam amore essent animati, nec metu sicariorum ab implemento sacrosancti sibi incumbentis officii se sivissent deterreri, nec suam toti catholico orbi tam perniciosam agendi rationem, a vero alienis et futilibus praetextibus exculpare niterentur. Nec quisquam sanae mentis homo unquam credere poterit, hujus tam crudelis cum Ecclesiae Capite agendi modi, culpam in piissimum Pontificem recidere; utpote, quem nihil pensi ducunt inimici nisus contra progredientem aevi culturam, aut obstinationis, intuitu depostarum in civili status regimine reformationum, arguere; quamquam boni omnes, sanique judicii homines clare perspiciant, eum nonnisi aeterna veritatis, justitiae, veraeque humanitatis et culturae axiomata, adversus impia novatorum dogmata, et perniciosa, ipsa naturalis justitiae postulata convellentia, principia defendere; nec in tales status publici mutationes condescendere posse, quae ecclesiastici regiminis repugnant indoli, quaeve tranquillitati et prosperitati publicae periculosa esse, tot regnorum, ipsius etiam status Pontificii exemplum affatim monstravit. Horum et similium allegationem, prout et adoptata proverbialia dicta, ut est exempli causa illud persaepe usitatum: eventuum logicam cunctis aliis fortiorem esse argumentis, non sunt, nisi male celata subterfugia, quae nonnisi levis judicii hominibus possunt palpum obtrudere; graves, et qui veras rerum rationes aestimare sciunt, viros movere non possunt. Sane

religionis christiano-catholicae, quae verae culturae lucem accendit in mundo, quamve ducenti milliones mortalium profitentur, venerabile Caput dignum est, ut modico, quod optimo acquisivit jure, quodve tot saeculorum lapsu tenuit, et quo sine ingenti rerum convulsione privari non potest, possessorio porro perfrui sinatur. Et bene nuperdierum unus antistitum ecclesiae gallicanae observavit in suis pastoralibus literis: exuere caput Ecclesiae possessorio suo, in praesenti rerum statu, regendae cum dignitate et libertate universae Ecclesiae plane necessario, esse speciem parricidii, esse crimen, quo gravius vix possit cogitari.

Et tamen haec crudelis Sedis pontificiae persecutio adeo non cessat, vel mitescit hodiedum, ut paene supremum suum gradum videatur adtigisse. Humanitus enim loquendo, non aliud possumus expectare, quam ut vere sanctus vereque benignus Pontifex noster, cujus cuncta vitae momenta totidem sunt pietatis, tenerrimique erga homines amoris paradigmata, crudis violentiae ausibus ita constringatur, ut sedem suam deserere, et, quâ illic, impio scelere, exui intenditur, libertatem et dignitatem, alibi terrarum quaerere cogatur. Quae res non potest non summa amaritudine replere pectora nostra. Duo tamen sunt, quae leniunt hanc doloris nostri acerbitatem. Alterum quippe, benigna Salvatoris nostri promissio, qua se cum Ecclesia sua futurum recepit in fines usque saeculorum; qui proinde, quemadmodum semper adusque, in gravissimis etiam, naviculam Petri exercentibus procellis, fecit, optatam, hac quoque vice, malaciam revehere potest, immo et facere potest cum tentatione proventum. Alterum, quod ubicunque sedem suam fixerit Summus Pontifex noster, mansurus sit Ecclesiae caput. Petrus et in carcere fuit Petrus. Et ubi Papa, ibi Roma. Certe Ecclesia catholica, in quamcunque abstrusum se receperit terrae angulum Pius nonus, ei filialis suae pietatis et obedientiae exhibebit homagium, tantoque profundiore eum prosequentur vene-

ratione; tanto teneriori amore filiali: quanto majori generosi sui pectoris firmitate, Confessoris gloriae sublimem martyrii palmam scivit copulare.

Quaeritur jam, quae sint

Causae gravis hujus, quam temporibus nostris omnia auctoritatis genera patiuntur stragis!

Varii varias assignant. Ego nolim, hac vice, me in discussionem disparatarum hac in re opinionum, sed nequidem in enumerationem earum immittere. Boni omnes et sapientes viri satis perspiciunt, praecipuam mali scaturiginem, esse crescentem in dies fidei christianae diminutionem in mentibus cordibusque hominum. Infaustam hanc fidei deminutionem, quoad intensionem non minus, ac extensionem suam, omnes in quascunque oculos conjicimus, privatae aeque, ac publicae apparitiones affatim demonstrant. Quid etenim aliud arguit ista operum, libellorum, ephemeridum, impiis materialismi ut aiunt, rationalismi et scepticismi principiis refertorum, inundatio? quid ista tam acris, et, ut ita dicam, furiosa fundamentalium etiam fidei dogmatum impugnatio? Quid aliud arguit irreligiosus ille spiritus, qui bene multa, etiam catholica gubernia, regit ac animat; quive eum jam adtigit gradum, ut paene pudeat viros, regendis publicis rebus praepositos, declarare, se catholicae adhaerere fidei; immo bene multi palam profiteantur, statum publicum indifferentem esse oportere in materia religionis, nec magnopere curare debere, quam subditi sui fidem sectentur; aut num aliquam vel nullam profiteantur? Ut adeo impium de statu, Deo destituto, principium, non amplius in sola consistat theoria, sed magis in dies magisque in realem vitam deductum appareat. Quod quidem sapientium, et bene humano generi cupientium judicio, idem est, ac si quis laetos ex arbore, cujus radices praesciderat, fructus expectaret. Non minus aperte hanc

fidei christianae labascentiam probant istae, quae fungorum instar, aevo nostro, undique enascuntur popularium repraesentationum congregationes. Raro in his nationalibus, aut provincialibus conventibus, auditur pronuntiari nomen Dei, rarissime, ac paene nunquam nomen Salvatoris Jesu Christi; nisi forte petulantis joci, aut plane impiae cavillationis causâ. Contra frequentissime resonant, intra nostram cumprimis monarchiam, querelae adversus initam cum Sede apostolica conventionem, quam vulgo Concordatum appellant! Non datur sophismatis genus, quamcunque debile aut ridiculum videatur, quo non impugnetur hoc, tanta cum moderatione, prudentia et aequitate initae coalitionis instrumentum; quo nullum cujuscunque mortalis jus, nullius persona laeditur aut proprietas; cujusve unicus scopus fuit, jure divino competentem Ecclesiae restituere libertatem, quae sat longo tempore, vere indignis ac iniquis constricta fuit indaginibus. An non porro ingentem fidei christianae deminutionem demonstrat ille legislationum, et eorum etiam, qui civitatum, aliarumque communitatum sortes moderantur, universalis paene nisus, religionis in literaria cujusvis generis instituta influxum abolendi, vel saltem quoad licet restringendi. Vocant id scholae ab Ecclesiae jugo emancipationem. Sed non attendunt hi liberales, quo nomine semetipsi se compellare amant, reformatores, svave hoc esse jugum, cui prompte se subjecit universus cultior mundus; et cui humanum genus suam ex barbara morum ac ignorantiae corruptione liberationem in acceptis habet referendam. Non advertunt, talem ab hoc jugo emancipationem, qualem ipsi desiderant, et individuis et integris nationibus deplorandum inferre consvevisse mancipatum. Principium sapientiae est timor Domini. Et qui sine Deo adgressus est educare juventutem, aedificat domum super arenam, quam primus validioris procellae impetus quassabit, aut plane evertet. Magnam pariter fidei christianae deminutionem demonstrat iste, qui se undique manifestat, ini-

micus erga sacerdotium, potissimum erga religiosos ordines nisus, non raro in apertum degenerans odium. Ridiculus sane foret, si ob infensum religioni spiritum, qui ei subest, non esset deplorandus, pannicus illo motus, quem apparitio unius alteriusve Societatis Jesu individui, tam generosis secus horum hominum animis solet incutere; apparitio inquam praeclare de Religione et juventutis educatione meritorum individuorum, quae violentia revolutionis, aut guberniorum, fidei et Ecclesiae infestorum, iniquitate, e sedibus suis depulsa, in exteris oris asylum quaerere coguntur; quod exulibus, innocentis praesertim vitae hominibus, denegare, ipsa humanitatis, nedum liberalitatis, quam in ore semper habent revolutionis fautores, ratio aperte prohibet. Ad conspectum paucorum, passim exemplaris ac insontis vitae idmodi religiosorum, contremiscunt hi heroës, sed serena fronte adspiciunt millia diversi generis hominum dissolutae passim vitae, semperque paratorum ad perniciosa socialismi et communismi principia in practicam vitam deducenda, ac ad ciendas publicae tranquillitati perquam perniciosas conspirationes!

Multa adhuc in confirmationem thesis meae possem adducere, sed vel ex allegatis plus quam satis impatescit: si non solam, certo praecipuam tantae labefactationis cunctarum, de quibus hucdum nobis sermo fuit, auctoritatum, causam in tristi, quam temporibus nostris experimur, fidei christianae imminutione esse requirendam. Quippe refrigescente, aut plane eradicata e mentibus cordibusque mortalium saluberrima, quam divinus Salvator noster mundo intulit, fide, non possunt non cuncta quoque auctoritatum genera vapulare, suumque sensim characterem ac efficaciam suam exuere. Et, si haec, incredulitatis pestis ampliores adhuc fecerit progressus: evitari non poterit, ne gentilis morum corruptela plane reviviscat apud plerosque christianos populos; immo metuendum vehementer, ne, quam

sapientes et sani judicii viri jam modo prospectant, universalis multarum Europae nationum conflagratio subsequatur.

Quale jam ex his omnibus pro nostra vitae et agendi ratione deducemus

Corollarium

venerabiles fratres, filiique dilectissimi? Si Ecclesiae, patriae, totique humanitati bene cupimus, sane non aliud, quam eo nobis diurnis ac nocturnis curis, omnique virium contentione esse elaborandum, ut sacro-sanctum fidei christiano- catholicae depositum, in quantum nondum evanuit e pectoribus humanis, conservetur; in quantum vero evanuit, aut debilitatum est et attenuatum, restabiliatur, uberioraque rursus capiat incrementa. Quivis certe, cui humanae societatis salus cordi est, etiam laicus, si perspexerit, fidem christianam primum ac summum esse verae prosperitatis mortalium requisitum, nihil abs se desiderari patietur eorum, per quae ejus emolumenta promoveri posse censuerit. Quanto magis id curae esse debet nobis, venerabiles fratres, filii dilectissimi! quorum manibus immediate per Salvatorem commissus est hic coelestis thesaurus; qui sumus excubitores constituti pro muris sanctis Jerusalem? qui successores sumus Apostolorum, quos, ut pulchre ait S. Leo Papa, *igne Spiritus sancti, quasi vivae lucis fonte Christus perfudit, ut ipsi postmodum universum mundum, tamquam duodecim solis radii, ac totidem lampades veritatis illuminarent et inebriati novo vino, repleant atque irrigent scientia corda omnium populorum?* Nostra inquam, si nolumus indigni videri tam sublimi vocatione, qua vocati sumus, praecipua haec esse debet cura, immo unica, in quam cuncta nostra studia, omnes cogitationes, omnia desideria, tota denique virium nostrarum contentio dirigatur est necesse.

Si quis vero quaerat, quibus viis modisque id potissimum effici possit? prompta et facilis est responsio: fideli, adcurata,

ac indefessa sacerdotalis ac pastoralis muneris nostri executione. Quae porro praecipuae sint hujus muneris partes, quove modo in eis obeundis nos versari oporteat? satis vobis constat; ipse quoque, innumeris propemodum jam vicibus, de iis verba ad vos faciebam, ac, quoad pro mea tenuitate potui, singulas enucleatius etiam vobis proponebam. Hac itaque vice nil eatenus determinatius memorabo. Unum tantum dico, quod nemo prudens potest inficiari: eo nos in communi, ac singulum nostrum, in divino hoc asserendae, constabiliendae, ampliandaeque in mentibus et cordibus hominum fidei christianae opere, felicius efficaciusque operaturos: quo magis fuerimus orationi dediti; quo teneriori cura custodierimus puritatem conscientiae nostrae; quo sollicitius caverimus, ne e sermonibus, actionibus, intermissionibus, toto denique vitae nostrae tenore, vel umbra alicujus scandali possit emergere; quo indefessiores fuerimus in populo verbo Dei pascendo, ac juventute doctrinae salutaris lacte nutrienda; quo major fuerit nostra in sacro poenitentiae tribunali patientia, mansvetudo, prudentia, charitas, sitisque salutis animarum, ab omni secundario fine libera; quo evidentius, dum Sacramenta administramus, ac imprimis dum sacrosanctam ad altare Altissimi hostiam immolamus, in vobis eluxerit viva fides, devotio, ac intemerata pietas; quo denique solertiore studio nobis necessarias ac utiles ad fructuose exercendum difficile munus nostrum, nobis comparare adnisi fuerimus rerum notitias. Vere tempora mala sunt, fratres filiique dilectissimi! Et, si salvare volumus, quae necdum decoxit malignus saeculi spiritus: abjecto omni mundanarum caducarumque rerum studio, excussa omni somnolentia, omni inter Christum et Belial titubatione, ea unice, quae Dei sunt et Jesu Christi, sanctaeque vocationis nostrae cogitemus; ac remotis, fortique animo superatis cunctis, quae sensuum lenocinia aut commoditatis studium nobis objicere solent, obstaculis, totos nos, provehendis sublimis destinationis nostrae finibus impendamus, cum ipsius

etiam, si necesse fuerit, vitae nostrae dispendio. Sic, divina adjuvante gratia, fiet fortasse, ut sedentur fluctus maris, tantopere hoc infelici tempore nostro saevientes, ac redeat optata malacia. Quidquid autem visum fuerit divinae voluntati decernere: sic laborantes in maximis etiam tempestatibus, praestiti parte ex nostra officii, et recti tutae conscientiae perfruemur testimonio; quo nullum est dulcius in adversis solamen. Sic denique aeternae retributionis, in quo omnium desideriorum nostrorum summa consistere debet, reportabimus bravium, quod promisit verax et misericors Dominus fidelibus servis, ac fortiter depugnantibus militibus suis.

Caeterum, dudum perspectum est, piis, vero religionis sensu penetratis Sacerdotibus: ad custodiendum, roborandum, inflammandumque in nobis vocationis zelum, nedum utile, sed omnino necessarium esse, ut statis temporibus ad aliquot saltem dies, in piam nos retrahamus solitudinem, spiritualibus exercitiis vacaturi. Indubium pariter est, salutari idgenus occupationi nullum esse tempus accommodatius, quam sit tempus sacrae quadragesimae. *In jejunio*, nos monet Ecclesia in praescripto pro prima quadragesimae dominica officio, *et fletu orabunt sacerdotes, dicentes: Parce Domine, parce populo tuo, et ne des haereditatem tuam in perditionem.* Et S. Leo Papa, in suo de quadragesima sermone, ait: *Praedicaturus vobis, dilectissimi, sacratissimum, maximumque jejunium, quo aptius utar exordio quam ut verbis Apostoli, in quo Christus loquebatur, incipiam, dicamque quod lectum est: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis? Quamvis enim nulla sint tempora, quae divinis non sint plena muneribus, et semper nobis ad misoricordiam Dei per ipsius gratiam praestetur accessus: nunc tamen omnium mentes majori studio ad spirituales profectus moveri, et ampliori fiducia oportet animari, quando ad universa pietatis officia illius nos diei, in quo redempti sumus, recursus invitat; ut excellens super omnia passionis Domini-*

cae sacramentum, *purificatis et corporibus et animis celebremus*. Quamobrem qua senior frater, svadeo vobis quo possum impensius dilectissimi, immo qua Praesul vester, vobis injungo in virtute sanctae et salutaris obedientiae, ut singuli vestrum, per decursum ingruentis quadragesimae, tempore, quod quisque suis adjunctis maxime congruum judicaverit, ad vicinum aliquem religiosum conventum, pro triduo adminus secedant, vel si id majoribus esset obnoxium difficultatibus, domi suae in sacram se solitudinem retrahant, ac sepositis cunctis aliis curis et occupationibus. (unice demtis inevitabilibus pastoralis officii functionibus) in pia meditatione serias cum Deo, conscientiaque sua ineant rationes; quosvis, abditissimos etiam pectoris sui recessus exeutiant; aberrationes suas a virtutis tramite, et quos in executione sacerdotalis pastoralisque sui muneris adrepererint naevos, penitius expendant; quomodo eos in posterum felicius evitare possint? recogitent; media fructuosius dehinc operandi, ac signanter fidem, spem et charitatem in cordibus suae praesertim curae commissorum fidelium confirmandi, incendendi, enutriendi inquirant, ac per sinceram subin, et adcuratam humilemque confessionem, conscientiam suam a quibusvis levioribus etiam mendis expurgare adnitantur; factisque seriis in posterum ea evitandi propositis communiant; quo sic cum gloriose resurgente Salvatore, et ipsi ad novam spiritualem vitam, adspirante divina gratia, valeant resurgere. Salutare idgenus exercitium, multum sane conducet ad incendendam, in fidelibus etiam, vivam fidem, et imminuenda, quae ex hujus labascentia, in humanum genus dimanare vidimus. mala, signanter ad restabiliendam, adeo necessariam pro humano genere, legitimarum auctoritatum, de quibus nobis sermo fuit, consistentiam.

Quoad conditiones dispensationis in lege jejunii ac abstinentiae, prioribus annis stabilitas, nec hac vice quidquam censui immutandum. Non possum tamen vos non iterum enixius hortari, fratres ac filii dilectissimi, ut nihil intermittatis in

publicis aeque, ac privatis, quas fidelibus vestris impertituri estis, institutionibus vestris, quod ad salvandas adminus, sanctae ac salutaris hujus disciplinae reliquias, quaqua ratione conducere posse existimaveritis. Et sana ratio et experientia docet, unum e fidissimis vigentis in populo christianae fidei horoscopiis, esse jejunii et abstinentiae ecclesiasticae observantiam. Scimus quam rigorose, quantaque cum conscientiae teneritudine fuerint observata praescripta jejunia et abstinentiae priscis illis temporibus, quibus fides in pleno suo floruit vigore. Scimus hodiedum apud rurales populos, e quorum pectoribus sensum fidei necdum potuit excutere impia corrupti saeculi frivolitas, non obstante eorum saepe gravi omnino paupertate, hoc, morum innocentiae tam praeclare inserviens disciplinae genus passim adhuc rigorose custodiri; ubi contra in civitatibus, ac majoribus oppidis, et apud homines falsae illuminationis, ac cum hac nunquam non junctae incredulitatis labe infectos, paene in totum, et vere tristem in modum evanuit; quod novo certe, quamvis deplorabili in confirmationem eorum deservit argumento, quae in contextu harum literarum, de ingenti nostris his temporibus invalescente fidei deminutione memoravi.

Concludo verbis S. Joannis Apostoli: *Vos autem, charissimi! superaedificantes vosmetipsos sanctissimae vestrae fidei, in Spiritu sancto orantes, vosmetipsos in dilectione Dei servate; expectantes misericordiam Domini nostri Jesu Christi, in vitam aeternam.* Amen. Datum Zagrabiae in residentia nostra Archi-Episcopali, Dominica Septuagesimae, in diem 17. mensis Februarii incidente, anno reparatae salutis 1867. Episcopatus nostri trigesimo.

Georgius Cardinalis Archi-Episcopus m. p.

Pag.	*Errata*	*Corrige*
3	diebus contiuius	diebus continuis
10	ephemeridis	ephemerides
46	sensu stricte	sensu stricto
49	despotismus	despotismum
51	indigentiam auctoritas	indigentiam auctoritatis
61	argamentis	argumentis
63	revoluti religiosa	revolutio religiosa
67	i feritatem	in feritatem
74	nascritur	nascitur
87	profligendas	profligandas
128	impederunt	impenderunt
129	anime	animae
130	illiata	illata
132	strepitu amorum	strepitu armorum
133	prefectionis	perfectionis
138	dec omnino	nec omnino
139	relique	relinque
142	manifestus	manifestius
152	communis	communibus
153	preduxit	producit
158	procudere	producere
167	totisque	totiusque
168	quas alia	quae alia
175	Deus quis conterit	Deus, qui conterit
179	izpjela	izpeljà
Eadem	baštinici	baštinike
181	hiljadu	hiljadah
183	post: blaženoj slogi	emansit: spajalo
188	nastati će	nestati će
201	nepodnesljivim	nepodnosljivim
216	dane će	da neće
229	da bi i celi puk	da bi celi puk
239	rodila nas	vodila nas
249	nostris prope temporibus	nostris paene temporibus
260	praetextu culposae	praetextu reprobandae
278	sensum lenociniis	sensuum lenociniis
290	novas subeant discrimina	nova subeant diserimina
293	omnia quae habet	omnia quae habent
317	sed non ignorabant	sed non ignorabat
324	augustioribus etc.	angustioribus etc.
325	indigant aliud	indicant aliud
327	prosequentur veneratione	prosequetur veneratione
332	in vobis eluxerit	in nobis eluxerit